FLOSCULI SANCTORUM PATRUM, IN AREOLAS SUAS DISTRIBUTI...

Jean : de La_Russalière

Digitized by Google

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

post 27 f

Z 15 12
C C
36 16

FLOSCVLI
SANCTORVM
PATRVM,
IN
AREOLAS SVAS
DISTRIBVTI.

Labore & studio IOANNIS DE LA RVSSALIERE, *Sacerdotis Pictavienſis.*

TOMVS I.

PARISIIS,

Apud { MICHAELEM LE PETIT, & STEPHANVM MICHALLET, ad insigne Velleris aurei, & S. Pauli. } viâ Iacobæâ

M. DC. LXX.

Cum Approbatione & Privilegio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FLOSCVLI
SANCTORVM
PATRVM
IN
APOCALYPSIN

INDEX RERVM.

Numerus paginam indicat.

A

Abbas. 43.
Adiutorium. 397. 420.
Adulterium. 131. 378. 382.
Amare. 8. 53. 71. 215. 347. 348.
Amor. 13. 53. 131. 188 222. 282. 308. 387.
Amicus. 30. 56. 57. 90. 97. 299. 359. 407.
Anima. 59. 60. 127. 148. 149. 219. 226. 303. 331.
Animus. 7. 109. 187. 213. 215. 217. 250.
Animalia. 39 222.
Avaritia. 241.
Authoritas. 14. 15. 33. 35. 122. 177. 211. 353.
Æternum. 266.
Æger. 15 155. 335.

B

Baptiſmus. 77. 154. 196. 352. 360. 364. 399.
Beatitudo. 20. 275.
Beatus. 33. 90. 91. 131. 218. 307.
Blaſphemia. 36.
Bonum. 18. 29. 33. 37 101 178. 208. 213. 228 283. 285. 309. 344. 365. 377. 385 398.
Bonus. 93. 203. 308. 342.

C

Cadere. 20.
Caducum. 15.
Cathecumenus. 356
Catholicus. 251. 263
Canis. 97. 129.

243. 247.
Caput. 40.
Causa. 113. 229 368
Cœcitas. 3. 388.
Charitas. 61. 62. 97. 98. 109. 130. 148. 181. 244. 209. 280. 288. 302. 349. 350. 354. 357. 361. 374.
Christus. 95. 128. 303. 335. 360. 363. 395.
Christianus. 47. 163. 180. 211. 244 306. 354. 369.
Caro. 281. 312. 314. 320. 366.
Castitas. 137. 251.
Cognoscere. 224.
Cognitio sui ipsius. 13. 33. 94. 218.
Cogitatio. 41.
Communio. 145.
Communicare malis. 155.
Contemnere. 241.
Concupiscentia. 8. 9. 173. 230. 301. 364. 377. 379. 381. 392. 396. 409
Confusio. 79.
Conjux. 390.
Continentia. 110. 290.
Corpus Domini. 124. 125. 143.
Credere. 59. 105. 114. 148. 171. 226. 246. 257. 316. 326. 334. 395.
Credibilia. 266.
Correctio. 58. 152. 160. 297. 302. 330. 357. 358. 360. 418. 422.
Creatura. 238.
Crux. 64 348.
Cupiditas. 182 183. 388.

D

Dare. 292.
Debere. 23. 24.
Deus. 2 5. 7 16. 37. 46. 71. 91. 95. 217. 367. 368.

Delectatio. 10. 11. 45. 367.
Deliciæ. 11.
Desolata. 52.
Deformitas. 318.
Diabolus. 42. 138. 210. 235. 381. 389.
Dificile. 16.
Diligere. 31. 35. 53. 62. 71 110. 148. 173. 174. 175. 215. 241. 248. 250 256. 389.
Disciplina. 138.
Discretio. 44. 233.
Diviiæ. 27. 45. 67. 168.
Doctrina. 215. 216. 261. 358.
Dolor. 2 266. 280. 288. 314. 338.
Dominus. 63.
Dominatus 33.
Donum. 108.

E

Ecclesia. 25 64. 77. 82. 89. 116. 143. 145. 149. 152. 166. 283. 288. 355.
Eleemosyna. 197. 198. 199. 315.
Ecclesiasticus. 185.
Episcopus. 350.
Egestas. 15.
Errare. 191. 234.
Error. 13. 17. 241. 325. 370.
Exaudire. 360.
Exemplum. 150. 265. 330. 349. 371. 417.

F

Fides. 29. 37. 49 70. 80. 81. 105. 116. 124. 156. 167 187. 204. 209. 226. 242. 257. 268. 290. 325. 345. 347. 391. 400. 412. 419. 423.
Fallere. 8. 119. 191. 416.
Falsum. 181. 187. 192.
Fama. 43.
Femina. 121.

Filius. 95. 114. 127. 158. 196. 206. 207. 208. 211. 221. 240. 241. 391.
Fons vitæ. 63.
Frui. 168. 266.
G
Gratia. 2. 71. 118. 119. 123. 163. 277. 288. 309. 398. 411. 414. 416.
Gratias agere. 63. 104.
Gloriari. 45.
Gaudium. 6. 8. 33.
H
Habitus. 270. 344.
Hæreticus. 5 26. 27. 41. 118. 149. 208 251. 260. 261. 262 263.
Hæreditas. 294.
Homo. 46. 68. 95. 100. 121. 156. 172. 213. 269.
Honor. 321.
Humilitas. 119. 122. 214. 303. 345. 347. 350.
I
Incontinentia. 287.
Incluſa. 43.
Incognita. 215. 216.
Indulgentia. 118.
Infidelis. 247.
Ingenium. 65. 90. 134. 230. 261.
Ingratus. 21.
Inhærere. 5..
Iniuria. 103. 362.
Intentio. 253.
Implere. 48.
Iniquitas. 394.
Invictus. 32. 340.
Juſtus. 29. 51. 215. 320. 383. 415.
Iuſtitia. 71. 94. 138. 228. 361. 316. 329.
Ira. 62. 143. 156 194.
Impudicus. 121.
Iubere. 50. 372.
Ieiunium. 106. 125.
Iudex. 54.
Iudicium. 297.
Iudicium extremũ.

51.160.164.208. 245.
Iurore.111. 145.291
L
Laborare. 113.
Labor. 330.
Laus.10.11.99.138. 293.
Latrocinium. 362.
Læsus. 56.
Libido. 6. 167. 182. 250. 289. 387.
Libri. 204. 205. 220. 222.
Litterę 14. 332. 342
Lingua 10. 33. 369. 382.
Liberum arbitrium. 69. 68. 109. 119. 162. 226. 231. 240. 247. 285. 322. 338. 395. 398. 415. 419.
Libertas. 17. 32. 110
Liberare. 263.
Lex. 29. 83. 112. 196 244. 256. 285. 310 329. 358. 414.
Lux. 37.
M
Malum. 7. 24. 29. 57. 188. 189. 193. 194. 197. 200. 329 338. 350. 415.
Malus. 92. 275. 306 351. 359.
Maxilla. 51.
Martyr. 160. 316. 319.
Mediator. 12.
Medicus. 82. 83. 169. 213. 288. 352 397.
Medicina. 35. 71. 244.
Memoria. 102.
Mendaciū. 101. 192 193. 194. 248. 251. 254. 261.
Membrum. 87. 223 373. 402.
Miles Christi. 102.
Miseria. 219. 308.
Misericordia. 1. 2. 4 21. 185. 195. 278. 307. 309. 340.

369. 386. 398.
Miraculum. 275.
Minister. 278.
Mori. 72. 275. 322. 372.
Mors. 41. 47. 129. 147. 171. 193. 249. 260. 301. 306. 309. 310. 314. 393. 408.
Murmurare. 46.
Mundus. 100.
Multiloquium. 220.
Mutabilitas. 32.

N

Natura. 27. 35. 41. 98. 189. 223. 224 228. 229. 237. 296. 336. 368. 405.
Necessitas. 10. 422.
Naufragium. 120.
Nugæ. 1.
Numerus. 119. 422.
Nuptiæ. 228. 288. 343. 350. 376. 380

O

Obdurare. 116.
Obedientia. 314. 345.
Oblatus. 80.
Odium. 313.
Officium. 143.
Ordinare. 221. 226. 283.
Ordo. 13. 14. 33. 35. 143. 209. 343.
Orare. 16. 44. 137. 278. 302. 343.
Oratio. 109. 116. 119. 132. 134. 187. 197. 418.
Ornamenta. 103.

P

Passio Dñi. 155. 159
Pax. 13. 315. 321.
Peccare. 24. 25. 41. 52. 255. 266. 322. 336. 346. 420. 424.
Peccatum. 7. 21. 24. 28. 30. 40. 120. 171. 199. 200. 290. 304. 329. 347. 364. 373. 376.

379. 394. 404.
Patientia. 266. 287. 305. 339.
Pœna. 141. 259. 274. 285. 319. 337. 339.
Pretium. 97.
Periculum. 7. 303.
Prædicere. 129.
Præscientia. 21. 286. 404.
Præmium. 34. 207. 210. 321. 332.
Præceptum. 373. 409. 418.
Perseverantia. 424. 428.
Prædestinatus. 421. 424. 426. 428.
Pietas. 91. 129. 244. 387. 414.
Pernicioſus. 42.
Persecutio. 72. 84.
Persona. 128.
Piscis. 239. 257.
Potestas. 76. 274. 332 348. 421.
Posse. 48.
Proficere. 53. 264.
Propagatio. 350. 275. 378. 380.
Providentia. 28. 238. 303.
Prudentia. 301.
Pudicitia. 161. 251. 377. 378. 386.
Pugna. 167. 389.
Pulchritudo. 39. 144. 215. 319.

Q

Quadrageſima. 125.

R

Ratio. 17.
Rerordari. 217.
Redemptio. 97. 155.
Reddere. 23. 68.
Regeneratio. 196.
Religio. 79.
Renaſci. 199.
Requies. 2. 125.
Repetere. 281.
Reſtitutio. 291.
Reſurrectio. 79. 171. 200. 310 3 1. 317. 392. 408.
Rex. 4. 86.

S

Sacramentum. 123. 152. 157. 359. 364.
Scientia. 126. 211. 218. 323. 375.
Sacrificiū. 145. 202. 280. 307. 340. 393.
Sacrilegium. 363.
Sanctificatio. 96. 395.
Sanare. 370.
Sanus. 116. 228.
Sapere. 354.
Sapiens. 17. 109 188.
Sapientia. 34. 64. 126. 175.
Scriptura. 49. 54. 57. 126. 178. 183. 204. 240. 324. 361. 362. 380. 383.
Scripta. 54. 58. 122.
Saturitas. 131.
Securus. 10. 284.
Senex. 59.
Speculum. 144.
Serenitas. 47.
Sermo. 181.
Servitus. 227. 238.
Signum. 178.
Silentium. 43. 115.
Similitudo. 125. 180.
Spiritualis. 268. 311.
Spiritus. S. 117. 195. 260. 319.
Subsidium. 52.
Substantia. 22. 206.
Superbia. 39. 44. 121. 161. 183. 231. 240. 244. 318. 346. 347. 370. 371. 382.

T

Tempus. 5. 50. 73. 80. 180. 209.
Thesaurus. 139.
Templum. 147.
Tentatio. 7. 223. 329. 391. 416.
Terra. 79.
Terror. 76.
Timore. 105. 123. 140. 238. 266.
Timor. 86. 93. 129. 345. 398.
Tollerare. 75. 150. 285.

INDEX RERVM.

Tribulatio. 109. 266
Triſtitia. 142.

V

Vanitas. 44.
Vana gloria. 12.
Vanum. 100.
Verbum. 53. 169. 215. 358
Verum. 426. 427.
Veritas. 18. 55. 209. 248. 258. 326. 363.
Vetus teſtamentum. 399.
Via. 14. 177.
Virginitas. 345. 348.
Vita. 5. 18. 34. 49. 65. 66. 67. 96. 117. 132. 178. 216. 280. 290. 291. 321. 360. 409. 412. 421.
Vigilare. 97. 101.
Vir. 39. 348. 378.
Virtus. 19. 90. 344. 385.
Viſio. 23. 236. 320.
Vincere. 30. 31. 159. 236. 238. 411.
Vinculum. 378.
Vitioſus. 1. 22.
Vitium. 22. 35. 61. 221 308. 315. 373. 377. 384.
Vnitas. 35. 36. 75.
Vniverſum. 39.
Voluntas 5. 13 37. 46. 67. 190. 195. 200. 245. 278. 289. 316. 375. 396. 413. 426.
Voluntarium. 27.
Vocatio. 268. 302.

FINIS.

Extrait du Privilege du Roy.

PAr grace & Privilege du Roy, il eſt permis à Florentin Lambert, Marchand Libraire à Paris, d'imprimer, faire imprimer, vendre & debiter un Livre intitulé, *Floſculi Patrum*; Et ce pendant le temps & eſpace de ſept années conſecutives : avec deffences à tous Imprimeurs, Libraires, & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer ou faire imprimer ledit Livre, ſous quelque pretexte que ce ſoit, ſans le conſentement dudit Lambert, à peine de confiſcation des exemplaires contrefaits, de tous dépens, dommages & intereſts, & d'amande, comme il eſt plus au long porté par ledit Privilege, donné à Paris le 2. May, l'an de grace 1667. & du regne de Sa Majeſté le 24 Signé, le FEBVRE. Et ſeelé du grand Sceau.

Regiſtré ſur le livre de la Communauté des Marchands Libraires, & Imprimeurs de Paris, le 27. Juin. 1667.

Signé THIERRY Ajoint.

S. AVGVSTINI FLOSCVLI.

AREOLA VII.

MAjorum nugæ negocia vocantur, puerorum autem talia cum sint, puniuntur à majoribus. *Confess. lib. 1. cap. 9.*

Nemo invitus benefacit, etiamsi bonum est quod facit. *cap. 31.*

Quid miserius misero non miserante seipsum? *cap. 13.*

Ego ne vituperarer vitiosior fiebam, & ubi non suberat quo admisso æquarer perditis, fingebam me feciſſe quæ non feceram, ne viderer abjectior quo eram innocentior, & ne vilior haberer quo eram castior. *Lib. 2. cap. 3.*

Quis timendus nisi unus Deus? Cuius potestati eripi aut subtrahi quid potest, quando, aut ubi, aut quo vel à quo potest?

Quæ quies certa præter Dominum?

cap. 7. Gratiæ tuæ deputo & misericordiæ tuæ (Domine) quod peccata mea tanquam glaciem solvisti, gratiæ tuæ deputo & quæcumque non feci mala.

cap. 9. Nemo facile solus ridet: sed tamen etiam solos & singulos homines, cum alius nemo præsens est, vincit risus aliquando, si aliquid nimie ridiculum vel sensibus occurrit, vel animo.

Pudet non esse impudentem.

Lib. 3. cap. 2. Certe omnis homo gaudere vult.

Magis misereor gaudentem in flagitio, quàm velut dura perpessum detrimento pernicioſæ voluptatis, & amissione miseræ felicitatis.

Etsi approbatur officio charitatis qui dolet miserum, mallet

tamen utique non esse quod doleret, qui germanitus misericors est.

Nonnullus dolor approbandus, nullus amandus est.

Ausus sum etiam in celebritate solemnitatum intra parietes Ecclesiæ tuæ concupiscere, & agere negocium procurandi fructus mortis. cap. 3.

Tanta est cæcitas hominum de cæcitate etiam gloriantium.

Flagitia quæ sunt contra naturam ubique ac semper detestanda atque punienda sunt, qualia Sodomitarum fuerunt. Quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu diuina lege tenerentur, quæ non sic fecit homines ut se illo uterentur modo. Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, cum eadem natura, cujus ille author est, libidinis perversitate polluitur. Quæ autem contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine vel lege fir- cap. 8.

matum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet, etsi nunquam ibi factum est, faciendum est: etsi omissum, instaurandum est, etsi institutum non erat, instituendum est.

Generale pactum est societatis humanæ obedire Regibus suis.

Sicut in potestatibus societatis humanæ major potestas minori ad obediendum præponitur, ita Deus omnibus.

cap. 9. Inter flagitia & facinora & tam multas iniquitates, sunt peccata proficientium, quæ à bene judicantibus & vituperantur ex regula perfectionis, & laudantur spe frugis, sicut herba segetis.

lib. 4. cap. 6. Miser est omnis animus vinctus amicitia rerum mortalium, & dilaniatur cum eas amittit, & tunc sentit miseriam, qua miser est, & antequam amittat eas.

Solus nullum charum amittit, cui omnes in illo chari sunt qui non amittitur. *cap. 9.*

Te (Domine) nemo amittit, nisi qui dimittit. Et qui dimittit, quo it, aut quo fugit, nisi a te placido ad te iratum?

Descendite ut ascendatis, & ascendatis ad Deum. *cap. 12.*

Ex amante alio accenditur alius. *cap. 14.*

Evenire assolet, ut malum medicum expertus, etiam bono timeat se committere. *lib. 6. cap. 4.*

Deputentur tempora, distribuantur horæ pro salute animæ. *cap. 11.*

Vita hæc misera est, mors incerta. Si subito obrepat, quomodo hinc exibimus? Et ubi nobis discenda sunt, quæ hic negleximus?

Voluntas & potentia Dei, Deus ipse est. *lib. 7. cap. 3.*

Illud vere est quod incommutabiliter manet. *cap. 11.*

Mihi inhærere Deo bonum est, quia si non manebo in illo, nec in me potero.

Improbatio hæreticorum facit *cap. 19.*

eminere quid Ecclesia sentiat, & quid habeat sana doctrina.

lib. 8. cap 3. Quanto majus periculum fuit in prælio, tanto majus gaudium est in triumpho.

Edendi & bibendi voluptas nulla est, nisi præcedat esuriendi & sitiendi molestia. Et ebrioſi quædam salsiuscula comedunt, quo fiat molestus ardor, quem dum extinguit potatio, fit delectatio. Et institutum est ut jam pactæ sponsæ non tradantur statim, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspiraverit sponsus dilatam.

Ubique majus gaudium molestia major præcedit.

cap. 4. Multis noti, multis sunt authoritati ad salutem, & multis præeunt secuturis.

Plus hostis vincitur in eo quem plus tenet, & de quo plures tenet.

cap. 5. Ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur,

facta est necessitas.

Lex peccati est violentia consuetudinis, qua trahitur & tenetur etiam invitus animus eo merito, quo in eam volens illabitur.

Perquot pericula pervenitur ad grandius periculum? cap. 6.

Imperat animus corpori, & paretur statim: imperat animus sibi, & resistitur. cap. 9.

Solitudo ad negocium flendi aptior. cap. 12.

Delectat bonos audire præterita mala eorum qui jam carent eis, nec ideo delectat quia mala sunt, sed quia fuerunt & non sunt. lib. 10. cap. 3.

Ego quibus tentationibus resistere valeam, quibusve non valeam, nescio. cap. 5.

Domine amo te: percussisti cor meum verbo tuo, & amaui te. Sed & cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles. cap. 6.

Absit Domine, absit à corde cap. 22.

ſervi tui qui confitetur tibi, abſit ut quocumque gaudio gaudeam, beatum me putem. Eſt enim gaudium quod non datur impijs, ſed eis qui te gratis colunt, quorum gaudium tu ipſe es. Et ipſa eſt beata vita gaudere ad te, de te, propter te: ipſa eſt, & non eſt altera.

cap. 23. Multos expertus ſum qui velint fallere, qui autem falli, neminem.

cap. 28. Nemo quod tolerat amat, etſi tolerare amat. Quamvis enim gaudeat ſe tolerare, mavult tamen non eſſe quod toleret.

cap. 29. Minus te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat, ô amor, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris.

cap. 31. Hoc me docuiſti (Domine) ut quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ: ipſe enim tran-

situs voluptas est, & non est alius qua transeatur, quàm quo transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se tanquam pediſſequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico vel volo, nec idem modus utriusque est. Nam quod saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpe incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium supperat. Ad hoc incertum hilarescit infelix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium, gaudens non apparere, quid satis sit moderationi valetudinis, ut obtentu salutis obumbret negocium voluptatis. His tentationibus quotidie conor resistere.

Certo quotidie adversus concupiscentiam manducandi & bibendi. Non enim est quod semel præcidere, & ulterius non attingere

decernam*, sicut de concubitu potui.

Quis est Domine, qui non rapiatur * aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum ego autem non sum, quia peccator homo sum.

* Aliquãdo.

82. De illecebra odorum non satago nimis. Cum absunt, non requiro: cum adsunt, non respuo: paratus etiam eis semper carere.

Nemo securus esse debet in ista vita quæ tota tentatio nominatur, ut qui fieri potuit ex deteriore melior, non fiat etiam ex meliore deterior.

cap. 33. Delectatio carnis meæ, cui mentem enervandam non oportet dari, sæpe me fallit, dum rationem sensus non ita comitatur, ut patienter sit posterior: sed tantum quia propter illam meruit admitti, etiam præcurrere ac ducere conatur. Ita in his pecco non sentiens, sed postea sentio.

Cum mihi accidit ut me amplius

cantus quam res quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.

In quam multis minutissimis & contemptibilibus rebus curiositas nostra quotidie tentatur, & quam sæpe labamur, quis enumerat? cap 35.

Aliud est cito surgere, aliud est non cadere.

Solus verus Dominus es, qui non habes Dominum.

Quotidiana fornax nostra est humana lingua. cap 37.

Et contristor aliquando laudibus meis, cum vel ea laudantur in me, in quibus mihi ipse displiceo, vel etiam bona minora & levia pluris æstimantur, quàm æstimanda sunt. Sed rursus inde scio, an propterea sic afficior, quia nolo de meipso a me dissentire laudatorem meum, non quia illius utilitate moveor, sed quia eadem bona quæ mihi in me placent, jocundiora mihi sunt cum & alteri placent. Quodammodo enim non

ego laudor, cum de me ſententia mea non laudatur, quando quidem aut illa laudantur, quæ mihi diſplicent, aut illa amplius quæ mihi minus placent.

cap. 38. Sermo ore procedens & facta quæ innoteſcunt hominibus, habent tentationem periculoſiſſimam ab amore laudis, qui ad privatam quandam excellentiam contrahere emendicata ſuffragia tentat.

Sæpe homo de ipſo vanæ gloriæ contemptu vanius gloriatur, ideoque non jam de ipſo gloriæ contemptu gloriatur. Non enim eam contemnit, cum gloriatur intus.

cap. 42. Mediator inter Deum & homines oportebat ut haberet aliquid ſimile Deo, aliquid ſimile hominibus, ne in utroque hominibus ſimilis, longe eſſet a Deo: aut in utroque Deo ſimilis, longe eſſet ab hominibus: atque ita mediator non eſſet.

lib. 11. cap. 2. Sint caſtæ deliciæ meæ, Scripturæ tuæ, nec fallar in eis, nec fallam ex eis.

Plus loquitur inquisitio, quàm inventio, longior est petitio, quàm impetratio: & operosior est manus pulsans quàm sumens. *lib. 12. cap. 1.*

Omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est. *lib. 13. cap. 8.*

In bona voluntate pax nobis est. *cap. 9.*

Pondus meum, amor meus, eo feror, quocumque feror.

Quæ per Spiritum tuum placent nobis, tibi placent in nobis. *cap. 31.*

Homo sibi ipsi est incognitus. Qui tamen ut se noscat, magna opus habet consuetudine recedendi à sensibus, & animum in seipsum colligendi, atque in seipso retinendi. *De Ordine. lib. 1. cap. 1.*

Error ipse non solum gignitur causa, sed etiam gignit aliquid cujus causa fit. *cap. 6.*

Certe Deus amat ordinem: vere amat, ab ipso manat, & cum ipso est. *cap. 7.*

Nec præter ordinem sunt mala quæ non diligit Deus, & ipsum tamen ordinem diligit: hoc enim ipsum diligit diligere bona, &

non diligere mala, quod est magni ordinis, & divinæ dispositionis.

cap. 8. Eruditio disciplinarum liberalium modesta sane atque succincta, & alacriores & perseverantiores, & comptiores exhibet amatores amplectendæ veritati, & ut ardentius appetant, & constantius insequantur, & inhæreant postremo dulcius.

cap. 9. Ordo est quem si tenuerimus in vita, perducet ad Deum; & quem nisi tenuerimus in vita, non perveniemus ad Deum.

cap. 11. Divinæ litteræ non omnino Philosophos, sed Philosophos hujus mundi evitandos atque irridendos esse præcipiunt.

Lib. 2. c. 2. Facilius est mihi videre in alterius definitione quod non probem, quàm quicquam bene definiendo explicare.

cap. 5. Duplex est via quam sequimur, cum rerum nos obscuritas mouet, aut rationem, aut certe authoritatem.

Ubi res convenit, quis non verba contemnat? cap 7.

Ad discendum necessario dupliciter ducimur, authoritate atque ratione. Tempore authoritas, re autem ratio prior est. Authoritas autem partim divina est, partim humana: sed vera, firma, summa ea est, quæ divina nominatur. cap. 9.

Nihil est omne quod fluit, quod solvitur, quod liquescit, & quasi semper perit. lib. de beata vita.

Ægri, sicut in morbis ipsius corporis videmus, cibos suos recusant & respuunt.

Velle quod non deceat, idem ipsum miserrimum. Nec tam miserum est non adipisci quod vellis, quàm adipisci velle quod non oporteat. Plus enim mali pravitas voluntatis affert, quàm fortuna cuiquam boni.

Quicquid mortale & caducum est, non potest à nobis, quando volumus haberi.

Habent in epulis suis & animi quandam luxuriem, si ultra mo-

dum in eas & voraciter irruant. Ita enim male quodammodo digerunt, unde valetudini mentium non minus quam ab illa ipsa fame metuendum est.

Et major & miserabilior egestas nulla est, quàm egere sapientia: & qui sapientia non eget, nulla re omnino egere potest.

lib. de Magistro. cap. 1. Deus in ipsis rationalis animæ secretis, qui homo interior vocatur, & quærendus & deprecandus est. Hæc enim sua templa esse voluit. Ubi putas sacrificium sacrificari, nisi in templo mentis, & in cubilibus cordis? Ubi autem sacrificandum est, ibi & orandum.

Non opus est locutione cum oramus, id est sonantibus verbis, nisi forte sicut Sacerdotes faciunt, significandæ mentis suæ causa, non ut Deus, sed ut homines audiant, & consensione quadam per commemorationem suspendantur in Deum.

De libero arbitrio. l. 1. c. 6. Nihil est tam arduum atque difficile, quod non Deo adjuvante planis-

planissimum atque expeditissimum fiat.

Qui scit se vivere, ratione non caret. cap. 7.

Nemo cuiquam miseria præponendum se putavit. cap. 8.

Eos sapientes voco, quos veritas vocari jubet, idest, qui regno mentis omni libidinis subjugatione pacati sunt. cap. 9.

Quisquis appetit quod appetendum non erat, tametsi id non appeteret, nisi ei videretur bonum, errat tamen. lib. 2. cap. 9.

In quantum omnes homines appetunt vitam beatam, non errant. In quantum autem quisque non eam tenet vitæ viam quæ ducit ad beatitudinem, cum se fateatur & profiteatur nolle nisi ad beatitudinem pervenire, in tantum errat. Error est enim cum sequimur aliquid, quod non ad id ducit quo volumus pervenire. Et quanto magis in via vitæ quis errat, tanto minus sapit.

Nulla re fruitur anima cum li- cap. 14

bertate, nisi qua fruitur cum securitate.

Nemo securus est in iis bonis, quæ potest invitus amittere. Veritatem autem atque sapientiam nemo amittit invitus.

Omnes amatores suos nullo modo sibi invidos recipit (Veritas) & omnibus communis est, & singulis casta est. Nemo alicui dicit: Recede, ut etiam ego accedam; remove manus, ut etiam ego amplectar. Omnes inhærent, ipsam omnes tangunt. Cibus ejus nulla ex parte discerpitur, nihil de ipsa bibis quod ego non possim bibere. Non enim ab ejus communione in privatum tuum mutas aliquid: sed quod tu de illa capis & mihi manet integrum. Quod te inspirat, non expecto ut reddatur abs te, & sic ego inspirer ex eo. Non enim aliquid ejus aliquando fit cujusquam unius, aut quorumdam proprium, sed simul omnibus tota est communis.

S. cap. 16. Sicut tota vita corporis est ani-

ma, sic beata vita animæ Deus est.

Quantacumque bona, quamvis magna, quamvis minima, nisi ex Deo, esse non possunt. *cap. 17.*

Si in corporis bonis invenimus aliqua quibus non recte uti homo possit, nec tamen propterea dicimus non ea dari debuisse, quoniam esse confitemur bona: quid mirum si & in animo sunt quædam bona quibus etiam non recte uti possimus; sed quia bona non potuerunt dari nisi ab illo, a quo sunt omnia bona. *cap. 18.*

Virtutes quibus recte vivitur, magna bona sunt. Species autem quorumlibet corporum, sine quibus recte vivi potest, minima bona sunt. Potentiæ vero animæ sine quibus recte vivi non potest, media bona sunt. Virtutibus nemo male utitur: cæteris autem bonis, non solum bene, sed etiam male quisque uti potest. Et ideo nemo virtute male utitur, quia opus virtutis est bonus usus istorum, qui- *cap.*

bus etiam non bene uti possumus. Nemo autem bene utendo male utitur. Quare abundantia & magnitudo bonitatis Dei non solum magna, sed etiam media & minima bona esse præstitit. Magis laudanda est bonitas ejus in magnis, quàm in medijs; & magis in medijs quàm in minimis bonis; sed magis in omnibus, quàm si non omnia tribuisset.

Beatitudine alterius hominis non fit alter beatus, quia & cum eum imitatur ut sit, inde appetit beatus fieri, unde illum factum videt, illa scilicet incommutabili communique veritate.

cap. 20. Omnem rem, ubi mensuram & numerum & ordinem videris, Deo artifici tribuere ne cunctaris.

l. 3. c. 4. Non sicut homo sponte cecidit, ita etiam sponte surgere potest.

Sicut non sibi adversantur hæc duo, ut tu præscientia tua noveris quod alius sua voluntate facturus est; ita Deus neminem ad pecca-

tum cogens, prævidet tamen eos qui propria voluntate peccabunt. Cur ergo non* judicet justus, quæ fieri non cogit præscius?

* Vindicet.

Si ingratus es in eo quod esse vis, jure cogeris esse quod non vis. Ex illo quod etiam ingratus habes quod vis, creatoris laudo bonitatem. Ex illo autem quod pateris ingratus quod non vis, ordinatoris laudo justitiam. cap. 6.

Cum duæ sint origines peccatorum, una spontanea cogitatione, altera persuasione alterius, utrumque voluntarium est quidem. Nam sicut propria cogitatione non peccat invitus, ita dum consentit male suadenti, non utique nisi voluntate consentit. Sed tamen gravius est non solum nullo suadente propria cogitatione peccare, sed etiam peccatum alteri per invidentiam dolumque suadere, quàm ad peccandum alterius suasione traduci. cap. 10.

Quid tam opus habens misericordia, quàm miser? Et quid tam

indignum misericordia, quàm superbus miser?

cap. 13. Omnis substantia, aut Deus, aut ex Deo: quia omne bonum aut Deus, aut ex Deo.

Nullius vituperatur vitium, nisi cujus natura laudatur. Aut enim secundum naturam est quod vituperas, & non est vitium, tuque magis emendandus es, ut recte vituperare noveris, quàm illud quod non recte vituperas: aut si vitium est, ut recte vituperari possit, etiam contra naturam sit, necesse est. Omne quippe vitium, eo ipso quo vitium est, contra naturam est. Si enim naturæ non nocet, nec vitium est: si autem quia nocet, ideo vitium est, ideo vitium est quia contra naturam est.

Prior (natura) vitiosa est, & prior corrumpitur vitio suo, cujus vitio alia quoque corrumpi potest.

Quoniam in quacumque re non vituperatur nisi vitium, ideo autem vitium est, quia contra natu-

ram eius rei est cuius est vitium, nullius rei recte vituperatur vitium, nisi cuius natura laudatur. Non enim tibi recte in vitio displicet, nisi quia vitiat quod in natura placet.

Nemo debet quod non accepit. Et quisquis debet, cui debet, nisi a quo accepit ut debeat? cap. 15.

Quia nemo superat leges omnipotentis creatoris, non finitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene utendo quod accepit, aut reddit amittendo quo bene uti noluit. Itaque si non reddit faciendo iustitiam, reddet patiendo miseriam, quia in utroque verbum illud debiti sonat. Hoc enim etiam modo dici potuit quod dictum est, si non reddidit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet. Nullo autem temporis interuallo ista dividuntur, ut quasi alio tempore non faciat quod debet, & alio patiatur quod debet, ne vel puncto temporis universitatis pulcritudo turpetur,

ut sit in ea peccati dedecus sine decore vindictæ. Sed in futurum judicium servatur ad manifestationem atque acerrimum sensum miseriæ quicquid nunc occultissime vindicatur. Sicut enim qui non vigilat dormit, sic quisquis non facit quod debet, sine intervallo patitur quod debet: quoniam tanta est beatitudo justitiæ, ut nemo ab ea nisi ad miseriam possit abscedere.

Deus nulli debet aliquid, quia omnia gratuito præstat. Et si quisquam dicet ab illo aliquid deberi meritis suis, certe ut esset non ei debebatur. Non enim erat cui deberetur.

cap. 16. Neminem natura sua cogit ut peccet, sed nec aliena. Quod si neque sua, neque aliena natura quis peccare cogitur, restat ut propria voluntate peccetur.

Non injuste aliquid pati, sed injuste aliquid facere peccatum est.

cap. 17. Improba voluntas malorum omnium causa est.

Quis

Quis peccat in eo quod nullo modo caveri potest? *cap. 18.*

Illa est peccati justissima pœna, ut amittat unusquisque quo bene uti noluit, cum sine vlla posset difficultate, si vellet. Id est autem, ut qui sciens recte non facit, amittat scire quid rectum sit: & qui recte facere, cum posset, noluit, amittat posse cum velit. Nam sunt revera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia & difficultas.

Nescio quo intimo naturalique sensu ea quæ nobis acciderunt, quoniam transacta sunt, sic habentur ad momentum felicitatis & miseriæ, quasi nunquam accidissent. *cap. 21.*

Suavius ad legendum quàm potentius ad persuadendum scripsit Plato *lib. de vera Religione. c. 2.*

Hæc Ecclesia Catholica per totum orbem valide latéque diffusa omnibus errantibus utitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem cum evigilare voluerint. Utitur enim Gentibus ad mate- *cap. 6.*

riam operationis ſuæ, Hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, Schiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Judæis ad comparationem pulcritudinis ſuæ. Alios ergo invitat, alios excludit, alios relinquit, alios antecedit, omnibus tamen gratiæ Dei participandæ dat poteſtatem: ſive illi informandi ſint adhuc, ſive reformandi, ſive recolligendi, ſive admittendi. Carnales autem ſuos, id eſt, viventes aut ſentientes carnaliter tanquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora ſunt, donec talibus tegminibus exuantur. Sed quia in hac area pro voluntate quiſque vel palea vel frumentum eſt, tamdiu fuſtinetur peccatum aut error cujuſliber, donec aut accuſatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animoſitate defendat. Excluſi autem aut pœnitendo redeunt, aut in nequitiam male liberi defluunt ad admonitionem noſtræ diligentiæ: aut ſchiſma faciunt ad exercitatio-

nem noſtræ patientiæ: aut hæreſim aliquam gignunt ad examen ſiue occaſionem noſtræ intelligentiæ.

Ex his hominibus hæreticifiunt, qui etiam ſi eſſent in Eccleſia, nihilominus errarent. Cum autem foris ſunt, plurimum proſunt, non verum docendo quod neſciunt, ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpiritales Catholicos excitando. *cap. 8.*

Uſque adeo peccatum voluntarium eſt malum, ut nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. *cap. 14.*

Ipſa natura ſuſcipienda erat, quæ liberanda. Et ne quis forte ſexus à ſuo creatore ſe contemptum putaret, virum ſuſcepit, natus eſt ex femina. *cap. 16.*

Satellites voluptatum divitias pernicioſe populi appetebant, pauper eſſe voluit. Honoribus & imperijs inhiabant, rex fieri noluit. Carnales ſuos filios magnum bonũ putabant, conjugium prolemque contempſit. Contumelias ſuper-

bissime horrebant, omne genus contumeliarum sustinuit. Injurias intolerabiles esse arbitrabantur; quæ major injuria, quàm justum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur, flagellatus atque cruciatus est. Mori metuebant, morte mulctatus est. Ignominiosissimum mortis genus crucem putabant, crucifixus est. Omnia, quæ habere cupientes non recte vivebamus, carendo vilia fecit. Omnia, quæ vitare cupientes à studio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit. Non enim vllum peccatum committi potest, nisi dum appetuntur ea quæ ille contempsit, aut fugiuntur quæ ille sustinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem quem susceperet dignatus est, disciplina morum fuit.

cap. 17. Ut ars medicinæ cum eadem maneat, neque vllo pacto ipsa mutetur, mutat tamen præcepta languentibus, quia mutabilis est nostra valetudo: ita divina providentia, cum sit ipsa omnino in-

commutabilis, mutabili tamen creaturæ varie ſubvenit, & pro diuerſitate morborum alijs alia jubet aut vetat, ut à vitio unde mors incipit, & ab ipſa morte ad naturam ſuam & eſſentiam ea quæ deficiunt, id eſt ad nihilum tendunt, reducat & firmet.

Bona ſunt quæ vitiantur, ſed ideo vitiantur, quia non ſumma bona ſunt. *cap. 19.*

Bonum quod vitiari non poteſt, Deus eſt.

Nihil juſtum diſplicet juſto. *cap. 22.*

Nullum eſt malum naturæ univerſæ, ſed ſua cuique culpa fit malum. *cap. 23.*

Authoritas fidem flagitat, & rationi præparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quamquam neque authoritatem ratio penitus deſerit, cum conſideratur cui ſit credendum, & certe ſumma eſt ipſius jam cognitæ atque perſpicuæ veritatis authoritas. *cap. 24.*

Hæc lex eſt divinæ providentiæ *cap. 28.*

ut nemo à ſuperioribus adjuvetur ad cognoſcendam & percipiendam gratiam Dei, qui non ad eadem puro affectu inferiores adjuverit.

De peccato noſtro quod in homine peccatore ipſa natura noſtra commiſit, & genus humanum factum eſt magnum decus ornamentumque terrarum, & tam decenter divinæ providentiæ procuratione adminiſtratur, ut ars ineffabilis medicinæ ipſam vitiorum fœditatem in neſcio quam ſui generis pulcritudinem vertat.

cap. 35. Amici hujus mundi tam timent ab ejus amplexibus ſeparari, ut nihil eis ſit laborioſius quàm non laborare.

cap. 45. Nolumus ab hominibus vinci, & iram non poſſumus vincere. Qua turpidine quid execrabilius dici poteſt? Fatemur hominem hoc eſſe quod nos ſumus, qui tamen etſi habeat vitia, non eſt tamen ipſe vitium. Quanto igitur honeſtius homo nos vincit, quàm vitium?

Melius est ut homo nos vincat quàm invidentia, vel quodlibet aliud vitium. Sed nec ab homine vinci potest, qui vitia sua vicerit. Non enim vincitur, nisi cum ei eripitur ab adversario quod amat. Qui ergo amat id solum quod amanti eripi non potest, ille indubitanter invictus est, nec vlla cruciatur invidia. Id enim diligit ad quod diligendum & percipiendum quanto plures venerint, tanto eis uberius gratulatur.

Nemo potest perfecte diligere quo vocamur, nisi oderit unde revocamur. cap. 46.

Ille veriſſime atque certiſſime invictus homo est, qui cohæret Deo, non ut ab eo aliquid boni extra mereatur, sed cui nihil aliud quàm ipsum hærere Deo bonum est. cap. 47.

Homo qui prosperis rebus proficit, asperis quid profecerit, discit. Cum enim mutabilium bonorum adest copia, non eis confidit: sed cum substrahuntur,

agnoſcit utrum eum non ceperint. Quia plerumque cum adſunt nobis, putamus quod non ea diligamus: ſed cum abeſſe cæperint, invenimus qui ſimus. Hoc enim ſine amore noſtro aderat, quod ſine dolore diſcedit.

Quem delectat libertas, ab amore mutabilium rerum liber eſſe appetat; & quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo ſubditus hæreat, plus eum diligendo, quàm ſeipſum.

cap. 49. Mentis aſpectu omnem mutabilitatem ab æternitate ſejungo, & in ipſa æternitate nulla ſpatia temporis cerno, quia ſpatia temporis præteritis & futuris rerum motibus conſtant. Nihil autem præterit in æterno, & nihil futurum eſt: quia & quod præterit eſſe deſinit, & quod futurum eſt, nondum eſſe cæpit. Æternitas autem tantummodo eſt, nec fuit quaſi jam non ſit, nec erit quaſi adhuc non ſit. Quare ſola ipſa veriſſime dicere potuit humanæ

menti : *Ego sum qui sum.*

Habet omnis lingua sua quæ- *cap. 50.*
dam propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur absurda.

Omnis hominum dominatus in *cap. 55.*
homines, aut dominantium, aut servientium morte finitur.

Sub homine dominante liberas cogitationes habere concessum est.

Justi homines & in uno Deo habentes omnia gaudia sua, quando per eorum facta Deus benedi- *De moribus Ecclesiæ Catholicæ. lib. cap. 1.*
citur, congratulantur laudantibus: cum vero ipsi tanquam ipsi laudantur, corrigunt errantes quos possunt, quos autem non possunt, non eis congratulantur, & ab eo vitio corrigi volunt.

Naturæ quidem ordo ita se habet, ut cum aliquid discimus, rationem præcedat authoritas.

Beatus, quantum existimo neque *cap. 3.*
ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecumque sit : neque qui habet quod amat, si noxium

sit: neque qui non amatquod habet, etiam si optimum sit. Nam & qui appetit quod adipisci non potest, cruciatur: & qui adeptus est quod appetendum non est, fallitur: & qui non appetit quod adipiscendum esset, ægrotat. Nihil autem istorum animo contingit sine miseria. Nec miseria & beatitudo in hominum uno simul habitare consueverunt.

cap. 8. Bonorum summa Deus nobis est. Deus est nobis summum bonum.

cap. 16. Solus Deus altissimus, quo nihil est altius.

cap. 17. Si sapientia & veritas non totis animi viribus concupiscatur, inveniri nullo pacto potest.

cap. 25. Vita æterna est totum præmium, cujus promissione gaudemus: nec præmium potest præcedere merita, & prius homini dari quàm dignus est. Quid enim hoc injustius, & quid justius Deo? Non ergo debemus poscere præmium antequam mereamur accipere.

Nihil in Ecclesia Catholica salubrius (fit) quàm ut rationem præcedat authoritas.

Non fieri potest ut seipsum qui Deum diligit, non diligat: imo vero solus se novit diligere, qui Deum diligit. Siquidem ille se satis diligit, qui sedulo agit ut summo & vero perfruatur bono. *cap. 26.*

Medicinam voco quicquid omnino corporis vel tuetur vel instaurat salutem. *cap. 27.*

Profecto illud quicquid est, præstantius est rebus humanis, cujus contemplatione potest homo sine homine vivere. *cap. 30.*

Perpetienda sunt vitia multitudinis ut curentur; & prius toleranda quæ sananda est pestilentia. *cap. 32.*

Ipsa natura nihil est aliud quàm id quod intelligitur in suo genere aliquid esse. *lib. 2. cap. 2.*

Ordo ad convenientiam quandam, quod ordinat, redigit. *cap. 6.*

Nihil est esse, quàm unum esse. Itaque in quantum quodque unitatem adipiscitur, in tantum est.

Unitatis est enim operatio convenientia & concordia, qua sunt, in quantum sunt, ea quæ composita sunt. Nam simplicia per se sunt, quia una sunt: quæ autem non sunt simplicia, concordia partium imitantur unitatem, & in tantum sunt, in quantum assequuntur.

cap. 8. Quædam facinorosa mulier Athenienſis, ut prodit historia, venenum quod certo modulo damnati ut morerentur, hauriebant, paulatim bibendo sine ullo vel levi incommodo valetudinis effecit ut biberet. Itaque cum esset aliquando damnata, legitimam illam quantitatem veneni, quam consuetudine vicerat, accepit ut cæteri, nec ut cæteri extincta est. Quod cum esset magno miraculo, missa est in exilium.

cap. 19. Est blasphemia cum aliqua mala dicuntur de bonis. Itaque jam vulgo blasphemia non accipitur, nisi mala verba de Deo dicere: de

hominibus namque dubitari poteſt, Deus vero ſine controverſia bonus eſt.

Docet ratio, nec ſane recondita, ſed in promptu ſita & expoſita omnium intellectui, ſed invicta, & eo invictior quod nemo eam ignorare permittitur, Deum eſſe incorruptibilem, incommutabilem, inviolabilem, in quem nulla indigentia, nulla imbecillitas, nulla miſeria cadere poſſit.

Summum bonum omnino, & quo eſſe aut cogitari nihil melius poteſt, aut intelligendus aut credendus Deus eſt, ſi blaſphemijs carere cogitamus.

Voluntas Dei cauſa eſt cæli & terræ; & ideo major eſt voluntas Dei quàm cælum & terra. Qui autem dicit: quare voluit facere cælum & terram? majus aliquid quærit, quàm eſt voluntas Dei, nihil autem majus inveniri poteſt. Compeſcat ego ſe humana temeritas, & id quod non eſt non quærat, ne id quod eſt non inveniat. Et ſi vo- *De Geneſi contra Manichæos. lib. 1. cap. 2.*

luntatem Dei nosse quisquam desiderat, fiat amicus Deo. Quia si voluntatem hominis nosse vellet, cujus amicus non esset, omnes ejus impudentiam ac stultitiam deriderent. Non autem quisquam efficitur amicus Dei nisi purgatissimis moribus, & illo fine præcepti de quo Apostolus decit: *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.*

1. Tim. 1.

cap. 4. Ubi lux non est, tenebræ sunt, non quia aliquid sunt tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicuntur. Sicut silentium non aliqua res est, sed ubi sonus non est, silentium dicitur. Et nuditas aliqua res non est, sed in corpore ubi tegumentum non est, nuditas dicitur. Et inanitas non est aliquid, sed locus, ubi corpus non est, inanitas dicitur.

cap. 8. Nihil de Deo digne dici potest. Nobis tamen ut nutriatur fides, & ad ea perveniamus, quæ nullo humano sermone dici possunt, ea

dicuntur quæ capere possumus.

Tam stulti sunt homines ut apud artificem hominem non audeant vituperare quæ ignorant, sed cum ea viderint, credunt esse necessaria, & propter vsus aliquos instituta: in hoc autem mundo cujus conditor & administra or prædicatur Deus, audent multa reprehendere, quorum causas non vident, & in operibus atque instrumentis omnipotentis artificis volunt se videri scire quod nesciunt. *cap. 16.*

Omnia animalia cetera subjecta sunt homini, non propter corpus sed propter intellectum quem nos habemus, & illa non habent. *cap. 17.*

Omnis pulcritudo quæ partibus constat, multo est laudabilior in toto, quàm in parte. *cap. 21.*

Universum ab unitate nomen accepit.

Est mater omnium hereticorum superbia. *lib. 2. cap. 8.*

Vir debet feminam regere, nec eam permittere dominari in virum. Quod ubi contingit, per- *cap. 11.*

versa & misera domus est.

cap. 12. Tunc ordinatissime caput mulieris vir est, cum caput viri est Christus, qui sapientia est Dei.

cap. 14. Etiam nunc in unoquoque nostrum nihil aliud agitur, cum ad peccatum quisque delabitur, quàm tunc actum est in illis tribus, serpente, muliere, & viro. Nam primo fit suggestio sive per cogitationem, sive per sensus corporis: vel videndo, vel tangendo, vel audiendo, vel gustando, vel olfaciendo. Quæ suggestio cum facta fuerit, si cupiditas nostra non moveatur ad peccandum, excludetur serpentis astutia: si autem mota fuerit, quasi mulieri jam persuasum erit. Sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat atque compescit. Quod cum fit non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, & quod libido commoverit faciendum esse decernat, ab omni beata vita tan-

quam de paradiſo expellitur homo. Jam enim imputatur peccatum, etiamſi non ſubſequatur factum, quoniam rea tenetur in conſenſione conſcientia.

Non accepit hominis natura, ut per ſuam poteſtatem, Deo non regente, beata ſit: quia nullo regente, per ſuam poteſtatem beatus eſſe ſolus Deus poteſt. *cap. 15.*

In jocis utique ſimulatio principatum tenet.

Nihil eſt tam familiare peccantibus, quàm tribuere Deo velle undecumque accuſantur. *cap. 17.*

Et omnes quidem hæretici generaliter ſcientiæ pollicitatione decipiunt, & reprehendunt eos quos ſimpliciter credentes invenerunt: & quia omnino carnalia perſuadent, quaſi ad carnalium oculorum apertionem conantur adducere, ut interior oculus excæcetur. *cap. 25.*

Nihil ſic revocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio. *cap. 28.*

Quis fecit Diabolum? Seipſe. Non enim natura, ſed peccando Diabolus factus eſt.

Lib. de vita Eremitica. cap. 1.

Sunt quidam quibus inter multos vivere perniciosum eſt: ſunt & alij quibus etſi perniciosum non eſt, tamem diſpendioſum eſt: ſunt & nonnulli quibus & nihil horum timendum eſt, ſed potius habitare magis æſtimant fructuoſum. Itaque antiqui ut vel vitarent periculum, vel ne paterentur diſpendium, vel ut liberius ad Chriſti anhelarent amplexum, ſingulariter vivere elegerunt.

cap. 6.

Si præter neceſſarium victum & veſtitum aliquid habes, Monacha non es.

Nolo ut inſidiatrix vetula mixta pauperibus accedat propius, deferat ab aliquo Monachorum vel Clericorum eulogias, non blanda verba in aure ſuſurret, ne pro ſuſcepta eleemoſyna oſculans manum in aure inſibilet.

Sunt quædam incluſæ, quæ in docendis puellis occupantur, &

cellam ſuam vertunt in ſcholam. Illa ſedet ad feneſtram, iſta in porticu reſidet. Illa intuetur ſingulas, & inter puellares motus nunc iraſcitur, nunc ridet, nunc minatur, nunc percutit, nunc blanditur, nunc oſculatur, nunc flentem vocat pro verbere propius, palpat faciem, ſtringit collum, & in amplexum ruens nunc filiam vocat, nunc amicam. Qualiter inter hæc memoria Dei, niſi ſecularia & carnalia, etſi non perficiantur, moventur tamen, & quaſi ſub oculis depinguntur.

Si aliqua magni nominis, vel bonæ æſtimationis perſona, Abbas ſcilicet vel Prior cum Incluſa loqui voluerit, aliquo præſente loquatur. *cap. 9.*

Periclitatur fama virginis crebra certe alicujus perſonæ ſalutatione, periclitatur & conſcientia. *cap. 10.*

Incluſa etiam facie velata loqui debet cum viro.

Tempore Quadrageſimæ Incluſa ſemper ſilentium tenere deberet. *cap. 13.*

cap. 14. Utilius est sæpius orare breviter, quàm semel nimis prolixe.

cap. 32. Sæpe falso nomine discretionis palliamus negocium voluptatis. Vera enim discretio est animam carni præponere, & ubi periclitatur utraque, nec sine hujusmodi incommodo illi potest salus consistere, pro illius utilitate istam negligere.

cap. 33. Carnalis superbia est de carnalibus: spiritualis est de spiritualibus superbire.

Vanitas est, si ancilla Christi intus in animo suo glorietur se nobilibus ortam parentibus: si se divitijs prætulisse pro Christo delectetur: si se contempsisse divitum nuptias quasi aliquid magnum admiretur.

cap. 34. Est etiam quædam species vanitatis in affectata aliqua pulcritudine etiam intra cellulam delectari, parietes varijs picturis & cælaturis ornare, oratorium pannorum & imaginum varietate decorare.

Qua fronte de divitijs vel nata- cap. 35.
libus gloriaris, quæ illius vis ſponſa videri, qui pauper factus eſt cum eſſet dives, pauperem matrem, pauperem familiam, domum etiam pauperculam, & præſepij vilitatem elegit?

Sufficiat tibi in altari tuo Salva- cap. 38.
toris in Cruce pendentis Imago, quæ paſſionem ſuam tibi repræſentet quam imiteris, expanſis brachijs ad ſuos te invitet amplexus in quibus delecteris, nudatis uberibus lac ſuavitatis infundat quo conſoleris.

Panni linei candidi tuum adornent altare, qui caſtitatem ſuo candore commendent, & ſimplicitatem præmonſtrent. Cogita quo labore, quibus tunſionibus terrenum in quo crevit linum colorem exuerit, ut ex eo ornetur altare, Chriſti corpus veletur.

Dilectio proximi in duo ſubdivi- cap. 40.
ditur, in innocentiam & beneficentiam, videlicet ut nulli noceas, benefacias quibus potueris.

cap. 45. Nihil ditius voluntate, ut ait quidam sanctus: hanc largire. Quid humanius pietate? Hanc impende. Quid utilius oratione? Hanc largire.

cap. 46. Nihil est appetendum ut habeatur ad largiendum, cum nihil habere sit perfectum.

cap. 47. Ad Dei dilectionem duo pertinent, affectus mentis, & effectus operis.

cap. 54. Pharisæus murmurat invidens pœnitenti: murmurat Iudas invidens effusioni unguenti.

cap. 59. Utinam bone Iesu tuus me dulcis respiciat oculus, qui te totiens ad vocem ancillæ procacis carnis meæ pessimis operibus affectibusque negavi.

Ecce homo. Vere homo, quis dubitat? Testes sunt plagæ virgarum, livor vulnerum, fœditas sputorum. Jam nunc cognosco quia est homo. Vere homo est, inquis, sed quid est quod in tot injurijs non irascitur ut homo, non movetur ut homo, non suis tortoribus indigna-

tur ut homo ? Ergo plus est quàm homo, si quis cognoscit illum. Cognoscitur certe homo impiorum judicia sustinens : sed cognoscetur Deus judicium faciens.

Illis potius à quibus patitur, ille compatitur : à quibus vulneratur, ille medetur; vitam procurat à quibus occiditur. *cap. 62.*

O verbum durum : *noli me tangere*! *cap. 65.*

Hoc unum dico omnibus mundi hujus præstare delicijs, honoribus atque divitijs, si ob conscientiæ serenitatem, fidei firmitatem, spei certitudinem, mortem non timeas. *cap. 67.*

Mors beatitudinis principium est, laborum meta, peremptoria vitiorum. *Ep. 3.*

Tanta est Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidie proficerem, si eas solas ab incunte pueritia vsque ad decrepitam senectutem maximo ocio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere. Non quo ad ea

quæ necessaria sunt saluti, tanta in eis perveniatur difficultate, sed cum quisque ibi fidem tenuerit, sine qua pie rectéque non vivitur, tam multa tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda proficientibus restant, tantáque non solum in verbis quibus ista dicta sunt, verum etiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura quodam loco habet : *Cum consummaverit homo, tunc incipit.*

Non sic Deus dicitur implere mundum, vel ut aqua, velut aër, velut ipsa lux, ut minore sui parte minorem mundi impleat partem, & majore majorem. Novit ubique totus esse, & nullo contineri loco. Novit venire, non recedendo ubi erat. Novit abire, non deserendo quo venerat.

Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. Ita

Ita inter Deum & homines Mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret.

Quàm multa usitata calcantur, quæ considerata stupentur.

Intellectui fides aditum aperit, infidelitas claudit.

Vita bona & honesta non aliunde formatur, quàm cum ea quæ diligenda sunt, diliguntur, hoc est Deus & proximus.

Modus ipse dicendi, quo sancta Scriptura contexitur, quàm omnibus accessibilis, quamvis pauciſſimis penetrabilis, ea quæ aperta continet, quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum. Ea vero quæ in mysteriis occultat, nec ipsa superbo eloquio erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula & inerudita quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascat, sed etiam secreta exerceat verita-

te, hoc in promptis quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus operta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam.

Ep. 5. Cum agricola æstate aliud jusserit, quàm jusserit hyeme, ratio mutatur agriculturæ.

Doctrina constans mutato præcepto non mutat institutionem.

Mutata temporis causa, quod recte ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque flagitat.

Nihil Deus jubet quod sibi pro-
al. *ipse* sit, sed illi cui jubet. Ideo * verus est Dominus qui servo non indiget, & quo servus indiget.

Id quod in tempore novum est,
Ge non (est) novum apud eum qui condidit tempora, & sine tempore

habet omnia quæ ſuis quibuſque temporibus pro eorum varietate diſtribuit.

Si verba attenderimus, eorumque proprietati ſerviendum putaverimus, non eſt præbenda maxilla dextera, ſi ſiniſtra fuerit percuſſa. Quoniam ſi quis te, inquit, percuſſerit in maxillam dexteram, præbe illi & ſiniſtram. Magis autem ſiniſtra, quod in eam potius partem, quàm ad dexteram, ferientis facilior ictus eſt. Sed ſic intelligi ſolet, ac ſi dictum eſſet: Si quis in te meliora fuerit perſecutus, & inferiora ei præbe, ne vindictæ potius quàm patientiæ ſtudens, contemnas æterna pro temporalibus, cum potius temporalia pro æternis contemnenda ſint, tanquam ſiniſtra pro dextris.

Vindicta ultima juſte poſcitur, quando nullus jam reſtat correctionis locus, extremo ſcilicet ſummoque judicio.

Paratus debet eſſe homo juſtus & pius patienter eorum malitiam

sustinere, quos fieri bonos quærit: ut numerus potius crescat bonorum, non ut pari malitia se quoque numero addat malorum.

Fit quod nolit & doleat, qui etiam invitus videtur dolore sanandus.

Cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur.

Nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur.

Cum (Deus) evertit subsidium vitiorum, & copiosas libidines inopes reddit, misericorditer adversatur.

Apuleius qui nobis Afris Afer est notior, non dico ad regnum, sed nec ad aliquam quidem judiciariam reipublicæ potestatem potuit pervenire, honesto patriæ suæ loco natus, & liberaliter educatus, magnaque præditus eloquentia.

Ep. 6. Non te desolatam putare debes, cum in interiore homine habeas præsentem Christum per fidem in corde tuo,

Omne quod oculis corporis conſpici poteſt, in loco aliquo ſit neceſſe eſt, nec ubique ſit totum, ſed minore ſui parte minorem occupet locum, & majore majorem.

Ego fateor me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Unde ſi aliquid vel incautius vel indoctius à me poſitum eſt, quod non ſolum ab iis qui videre id poſſunt, merito reprehendatur, verum etiam à meipſo, quia & ego ſaltem poſtea videre debeo ſi proficio; nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potius ignoſcendum atque gratulandum; non quia erratum eſt, ſed quia improbatum. Nam nimis perverſe ſeipſum amat, qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat. Ep. 7.

Non mihi placet, cum à chariſſimis meis talis eſſe exiſtimor, qualis non ſum: profecto enim non me, ſed pro me alium ſub meo nomine diligunt, ſi non quod ſum, ſed quod non ſum, diligunt. Nam inquantum me noverunt, vel de

me verum credunt, ego ab eis diligor: inquantum autem mihi tribuunt, quod in me non cognoscunt, alium talem qualem me putant, pro me diligunt.

Romani maximus auctor Tullius eloquij nullum unquam verbum, inquit, quod revocare vellet emisit. Quæ quidem laus, quamvis præclarissima videatur; tamen credibilior est de nimium fatuo, quàm de sapiente perfecto.

Dicti mali vel stulti vel incommodi pœnitere, utique cordatorum est.

Illius scripta summa sunt authoritate dignissima, qui nullum verbum, non quod revocare vellet, sed quod revocare deberet, emisit.

Si ratio contra divinarum Scripturarum authoritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit verisimilitudine; nam vera esse non potest. Rursus si manifestissimæ certæque rationi velut Scripturarum sanctarum objicitur authoritas, non intelligit qui hoc facit: & non

Scripturarum illarum sensum ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati; nec quod in eis, sed quod in seipso velut pro eis invenit, opponit.

Ego difficillime bonus Judex lego quod scripserim, sed aut timidior recto, aut cupidior. Video etiam interdum vitia mea; sed hæc malo audire à melioribus, ne cum me recte fortasse reprehendero, rursus mihi blandiar, & meticulosam potius mihi videar in me quàm justam tulisse sententiam. *Ep. 8.*

Fit tanquam ægrotus, qui ministrat ægroto; non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat quemadmodum sibi ministrari vellet si ipse ægrotaret, & sic aliis ægrotantibus ministrando compatitur. *Ep 9.*

Incomparabiliter pulchrior est Veritas Christianorum quàm Helena Græcorum: pro ista enim fortius nostri martyres adversus hanc Sodomam, quàm pro illa illi heroës adversus Trojam dimicaverunt.

Ep. 15. Nisi te putares læsum scriptis meis, non me putares lædi posse rescriptis tuis.

Si ea in me reprehenderis, quæ reprehendenda non sunt, te lædis magis quàm me.

Melius tumor capitis dolet dum curatur, quàm dum ei parcitur, & non sanatur. Hoc est enim quod acute vidit, qui dixit: Utiliores esse plerumque inimicos jurgantes, quàm amicos objurgare metuentes: illi enim dum rixantur, dicunt aliquando vera quæ corrigamus: isti autem minorem quàm oportet exhibent justitiæ libertatem, dum amicitiæ timent exasperare dulcedinem.

O infida in voluntatibus amicorum scientia præsentium, ubi nulla est præscientia futurorum.

Loquitur de Rufino & Hier. Ne de vobis ea conscribendo spargatis, quæ quandoque concordantes delere non poteritis, qui nunc concordare nolitis, aut quæ concordes legere timeatis, ne iterum litigetis.

Ex amico intimo factus inimicus, quærat sibi potius quod fingat astutus, non inveniat quod prodat iratus Hoc autem unusquisque facile assequitur, non occultando quod fecerit, sed non faciendo quod occultare velit.

Cum falsum quid à maledico fingitur, aut omnino non creditur, aut certe integra salute sola fama vexatur. Cum autem malum perpetratur, hostis est intimus, etiamsi nullius intimi loquacitate aut lite vulgetur.

Solis eis Scripturarum Libris qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid erraſſe firmissime credam: ac si aliquid in eis offendo litteris, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut quanta-

Ep. 19.

libet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos authores canonicos vel probabili ratione quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.

volens. Hoc erga me ab omnibus servari (volo) ut quicquid improbandum putant in scriptis meis, nec laudent subdolo pectore, nec ita reprehendant apud alios, ut taceant apud me.

Sine ullo nocendi animo facile de homine humana vitia suspicari.

Quanquam secundum honorum vocabula quæ jam Ecclesiæ usus obtinuit, Episcopatus Presbyterio major sit; tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est, licet etiam à minore quolibet non sit refugienda vel dedignanda correctio.

Ep. 23. Nonne semel immolatus est Christus in seipso? & tamen in Sacramento, non solum per omnes Paschæ solemnitates, sed omni

die populis immolatur.

Si Sacramenta quandam ſi nilitudinem earum rerum, quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt.

Ad diſcendum quod opus eſt, nulla mihi ætas ſera videri poteſt: quia etſi ſenes magis decet docere quàm diſcere, magis tamen diſcere quàm quid doceant ignorare. *Ep. 28.*

Anima hominis immortalis eſt ſecundum quemdam modum ſuũ: non enim omni modo ſicut Deus, de quo dictum eſt quia ſolus habet immortalitatem. Ita moritur alienata à vita Dei, ut tamen in natura ſua vivere non omnino deſiſtat: ita mortalis ex aliqua cauſa invenitur, ut etiam immortalis non ſine ratione dicatur.

Deum nefas eſt niſi vere ſummeque incommutabilem credere.

Cum de re conſtat, non opus eſt certare de nomine.

(Anima) per totum corpus quod animat, non locali diffusione, sed quadam vitali intensione porrigitur. Nam per omnes ejus particulas tota simul adest, nec minor in minoribus, & in majoribus major, sed alicubi intensius, alicubi remissius, & in omnibus tota, & in singulis tota est. Neque enim aliter quod in corpore etiam non toto sentit, tamen tota sentit. Nam cum exiguo puncto in carne viva aliquid tangitur, quamvis locus ille non solum totius corporis non sit, sed vix in corpore videatur, animam tamen totam non latet; neque id quod sentitur per corporis cuncta discurrit, sed ibi tantum sentitur ubi sit. Unde ergo ad totam mox pervenit quod non in toto sit, nisi quia & ibi tota est ubi sit, nec ut tota ibi sit, cætera deserit? Vivunt enim & illa ea præsente, ubi nihil tale factum est. Quod si fieret, & utrumque simul fieret, simul utrumque totam pariter non lateret.

Noli me ſpernere, ne te ſpernat qui pro nobis dignatus eſt ſperni.

Nemo facit optando, ut verum ſit quod verum non eſt.

Sunt quædam vitia virtutibus aperta diſcretione contraria, ut imprudentia prudentiæ. Sunt autem quædam tantum quia vicia ſunt, ideo contraria, quadam tamen ſpecie fallaci ſimilia, ut eidem prudentiæ non imprudentia, ſed aſtutia. *Ep. 29.*

Aliquando vitium vitio tollitur, ut amore laudis amor pecuniæ. Aliquando unum cedit ut plura ſuccedant, velut qui ebrioſus fuerit, ſi modicum biberit, & tenacitatem & ambitionem didicerit.

Charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, magna & vera virtus eſt, quia ipſa eſt & finis præcepti. Merito dicta eſt fortis ſicut mors, ſive quia nemo eam vincit ſicut mortem: ſive quia in hac vſque ad mortem eſt *1. Tim. 1* *Cant. 8.*

mensura charitatis, sicut Dominus ait: *Majorem hac charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: sive potius quia sicut mors animam avellit à sensibus carnis, sic charitas à concupiscentijs carnalibus.

Ioan. 15

Nemo diligit proximum nisi diligens Deum, & hoc quantum potest proximo impendat, quem diligit tanquam semetipsum, ut & ille diligat Deum, quem si ipse non diligit, nec se nec proximum diligit.

Tunc perfecti sumus in charitate, quando nihil restat ex infirmitate.

Inest Deo & misericordia judicanti, & judicium miseranti.

Quisquis velut nimium justus judicium sine misericordia quasi securus expectat, iram justissimam provocat.

Hierusalem desideramus utique, & quanto impatientius desideramus ipsam, tanto patientius sustinemus omnia propter ipsam.

Cum legis, mi ſancte Pauline, *Ep. 32.* non te ita rapiant quæ per noſtram infirmitatem veritas loquitur, ut ea quæ ipſe loquor minus diligenter advertas: ne dum avidus hauris bona & recta quæ data miniſtro, non ores pro peccatis & erratis quæ ipſe committo. In ijs enim ſi adverteris quæ tibi recte diſplicebunt, ego ipſe conſpicior: in ijs autem quæ per donum Spiritus quod accepiſti, recte tibi placent in libris meis, ille amandus, ille prædicandus eſt, apud quem eſt fons vitæ, & in cujus lumine videbimus lumen, & ſine ænigmate & facie ad faciem, nunc autem in ænigmate videmus.

Melius eſt vel de parvo Dei dono gratias ipſi agere, quàm ſibi agi velle de magno.

Bonus Dominus qui non tribuit *Ep. 34.* ſæpe quod volumus, ut quod malimus attribuat.

Revera omnia contemnit, qui non ſolum quantum potuit, ſed etiam quantum voluit habere, contemnit.

Nescio quo modo cum superflua & terrena diliguntur, arctius adepta quàm concupita constringunt.

Utilius terrena opulentia tenetur humiliter, quàm superbe relinquitur.

Ep. 38. Mater Ecclesia, mater est etiam matris tuæ.

Quid interest utrum in vxore, an in matre, dum tamen Eva in qualibet muliere caveatur?

Crucem nostram Dominus quam portari à nobis jubet, ut eum expeditissimi sequamur, quid aliud quàm mortalitatem carnis hujus significat? Ipsa enim nos cruciat, donec absorbeatur mors in victoriam. Crux ergo hæc ipsa crucifigenda est, & transfigenda est clavis timoris Dei, ne solutis & liberis membris reluctantem portare non possis. Sequi enim Dominum, nisi eam portans, non vales.

Ep. 39. Sapientia quos primo alligaverit, & exercitatorijs quibusdam laboribus

laboribus edomuerit, soluit postea, liberatisque sese donat ad fruendum: & quos primo temporalibus nexibus eduxerit, post æternis amplexibus alligat. Quo vinculo nec jucundius nec solidius cogitari quicquam potest. Prima hæc aliquantulum dura esse confiteor: illa vero vltima nec dura dixerim, quia dulcissima sunt, nec mollia, quia firmissima. Vincula vero hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem: rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem.

Si calicem aureum inveniſſes in terra, donares illum Ecclesiæ Dei. Accepisti à Deo ingenium spiritaliter aureum, & ministras inde libidinibus, & in illo Satanæ propinas te ipsum. *Licentium alloquitur hic S. Augustinus.*

Quantis laboribus agitur, ut longiore vita laboretur, & mors cum impendere cæperit, ideo ca- *Ep. 45.*

vetur, ut diutius timeatur? Nam inter tot casus fragilitatis humanæ, quàm multæ mortes timentur? quarum certe una cum venerit, restat cæteras non timeri, & tamen fugitur una, cum omnes timeantur. Quibus excruciantur doloribus, qui curantur à medicis & secantur? Nunquid ut non moriantur, sed ut aliquanto serius moriantur? Multi cruciatus suscipiuntur certi, ut pauci dies adjiciantur incerti. Et nonnunquam ipsis doloribus victi, continuo moriuntur, quos mortis timore suscipiunt: & cum omnino non eligant vitam finire ne doleant, sed dolere ne finiant, accidit eis ut doleant & finiant: non solum quia & sanati utique vitam finiunt post dolores, quæ tantis pœnis comparata, nec sempiterna esse potest quia mortalis est: nec diuturna, quia tota brevis est: nec de ipso brevi spacio sui secura, quia semper incerta est: verum etiam quod aliquando eam dolore finierunt,

quam ne finirent dolere voluerunt.

Habet etiam hoc magnum malum ac vehementer execrandum nimius amor vitæ istius, quod multi dum volunt paulo diutius vivere, graviter offendunt Deum apud quem est fons vitę. Atque ita dum ab eis frustra qui necessario futurus est vitæ finis metuitur, illinc prohibentur ubi sine fine vivitur.

An dignum est vel ferendum, cum contemnuntur omnia quæ amantur in mundo, ut vita post paululum finienda, saltem ipsum paululum teneatur in mundo: & non contemnitur mundus, ut obtineatur vita quæ sine fine apud illum est, per quem factus est mundus?

Voluntas ut plena sit, oportet ut sana sit: erit autem sana si Medicum non refugiat, cujus solius gratia sanari potest à morbo desideriorum noxiorum.

Divitiæ si diliguntur, ibi ser-

tur ubi perire non possunt. Honor si diligitur, illic habeatur, ubi nemo indignus honoratur. Salus si diligitur, ibi adipiscenda desideretur, ubi adeptæ nihil timetur. Vita si diligitur, ibi acquiratur, ubi nulla morte finitur.

Benignus exactor est (Deus,) non egenus: & qui non crescit ex redditis, sed in se crescere faciat redditores. Huic ergo quod non redditur, perditur: quod autem redditur, reddenti additur: immo vero in eo qui redditur, ipse reddens servatur. Id ipsum quippe erit redditum & redditor, quia idipsum erat debitum & debitor. Deo namque seipsum debet homo, eique reddendus est ut beatus sit à quo accepit ut sit.

Armẽarium Riparium alloquitur hic Aug.

Priusquam esses voti reus, liberum fuit quo esses inferior: quamvis non sit gratulanda libertas, qua fit ut non debeatur quod cum lucro redditur. Nunc vero quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam justitiam invito, sed à magna iniquitate deter-

reo. Non enim talis eris, si non feceris quod voviſti, qualis manſiſſes ſi nihil tale voviſſes. Minor enim tunc eſſes, non pejor. Modo autem tanto, quod abſit, miſerior ſi fidem Deo fregeris, quanto beatior ſi perſolveris. Nec ideo te voviſſe pœniteat, immo gaude jam tibi ſic non licere, quod cum tuo detrimento licuiſſet. Felix eſt neceſſitas, quæ in meliora compellit.

Neque Deus exigit, ſi quis ex alieno aliquid voverit, ſed potius uſurpare vetat alienum.

Soli parvuli, qui nondum habent opera propria vel bona vel mala, ſecundum ſolum originale peccatum damnabuntur, quibus per lavacrum regenerationis non ſubvenit gratia Salvatoris. Cæteri autem omnes qui jam utentes libero arbitrio ſua propria peccata originali peccato inſuper addiderunt, ſi de poteſtate tenebrarum per gratiam Dei non eruuntur nec transferuntur ad regnum Chriſti, non ſolum ſecundum originis, ve-

rum etiam secundum propriæ voluntatis merita judicium reportabunt.

(Fides sana Catholica) neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam: neque tantum ei tribuit ut sine gratia Dei valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat, ubi jam non timeat ne deficiat.

Si non esset liberum arbitrium non diceretur: *Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige: ne declines in dexteram neque in sinistram:* Et tamen sine Dei gratia si posset hoc fieri, non postea diceretur: *Ipse autem rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet.* Prou. 14.

Non sic defendatis liberum arbitrium, ut ei bona opera sine Dei gratia tribuatis: nec sic defendatis gratiam, ut quasi de illa securi mala opera diligatis: quod ipsa

gratia Dei avertat à vobis.

Quid nobis gratia Dei utilius confert in hoc præsenti seculo maligno, nisi ut moriamur peccato? Ac per hoc ipsi gratiæ invenietur ingratus, qui propter illam vult vivere in peccato, propter quam morimur peccato.

Nunquid ideo negligenda est medicina, quia nonnullorum est insanabilis pestilentia?

Melius est cum severitate diligere, quàm lenitate decipere.

Utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligebat, quàm esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus acquiescat.

Et qui phreneticum ligat, & qui lethargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat.

Quis nos potest amplius amare quam Deus? & tamen nos non solum docere suaviter, verum etiam salubriter terrere non cessat. Fomentis lenibus quibus consolatur, sæpe etiam mordacissimum medi-

camentum tribulationis adjungens, exercet fame Patriarchas etiam pios & religiosos, populum contumacem pœnis gravioribus agitat. Non aufert ab Apostolo stimulum carnis tertio rogatus, ut virtutem in infirmitate perficiat.

Tres cruces in uno loco erant, in una latro liberandus, in alia latro damnandus, in media Christus, alterum liberaturus, alterum damnaturus. Quid simílius istis crucibus? Quid dissimilius istis pendentibus?

Si semper esset laudabile persecutionem pati, sufficeret Domino
Math.5. dicere, *Beati qui persecutionem patiuntur*; nec adderet *propter justitiam.* Item si semper esset culpabile persecutionem facere, non scriptum esset in sanctis Libris:
Ps.100. *Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequebar.* Aliquando ergo & qui eam patitur, injustus est: & qui eam facit, justus est. Sed plane semper & mali persecuti sunt bonos, & boni persecuti sunt malos.

malos. Illi nocendo per injustitiam, illi consulendo per disciplinam: illi immaniter, illi temperanter: illi servientes cupiditati, illi charitati Nam qui trucidat, non considerat quemadmodum laniet: qui autem curat, considerat quemadmodum secet. Ille enim persequitur sanitatem, ille putredinem. Occiderunt impij Prophetas, occiderunt impios & Prophetæ. Flagellaverunt Iudæi Christum, Iudæos flagellavit & Christus. Traditi sunt Apostoli ab hominibus potestati humanæ, tradiderunt & Apostoli homines potestati Sathanæ. In his omnibus quid attenditur, nisi quis eorũ pro veritate, quis pro iniquitate: quis nocendi causa, quis emendandi.

Si facta præterita in propheticis libris figuræ fuerunt futurorum, in rege illo qui appellabatur Nabuchodonozor, utrumque tempus figuratum est, & quod sub Apostolis habuit, & quod nunc habet Ecclesia. Temporibus itaque

Apostolorum & Martyrum illud implebatur quod figuratum est quando Rex memoratus pios & justos cogebat adorare simulacra, & recusantes in flammas mittebat. Nunc autem illud impletur quod paulo post in eodem Rege figuratum est, cum conversus ad honorandum Deum verum, decrevit in regno suo ut quicumque blasphemaret Deum Sydrac, Misac, & Abdenago, pœnis debitis subjaceret. Prius ergo tempus illius Regis significabat priora tempora posteriorum Regum infidelium quos passi sunt Christiani pro impijs. Posterius vero tempus illius Regis, significavit tempora posteriorum Regum jam fidelium, quos patiuntur impij pro Christianis.

Nulla bestia, si neminem vulneret, propterea mansueta dicitur, quia dentes & ungues non habet.

Nullius crimen maculat nescientem.

Non propter malos boni deserendi, sed propter bonos mali tolerandi sunt, sicut toleraverunt Prophetæ contra quos tanta dicebant, nec communionem sacramentorum illius populi relinquebant: sicut ipse Dominus nocentem Judam usque ad condignum ejus exitum toleravit, & cum sacram cœnam cum innocentibus communicare permisit: sicut toleraverunt Apostoli eos qui per invidiam, quod ipsius Diaboli vitium est, Christum annunciabant: sicut toleravit Cyprianus Collegarum avaritiam, quam secundum Apostolum appellat idololatriam.

Mea primitus sententia erat neminem ad unitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus. Sed hæc opinio mea, non contradicentium verbis, sed demonstrantium superaG ij

batur exemplis: nam primo mihi opponebatur civitas mea, quæ cum tota esset in parte Donati, ad unitatem Catholicam timore legum Imperialium conversa est. Ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, ut ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causa recte intelligi posse quod scriptum
Prou 9. est: *Da Sapienti occasionem, & sapientior erit.*

Terror temporalium potestatum, quando veritatem oppugnat, justis fortibus gloriosa probatio est, infirmis periculosa tentatio: quando autem veritatem prædicat errantibus & discordantibus, cordatis utilis admonitio est, & insensatis inutilis afflictio.

Sive potestas veritati favens aliquem corrigat, laudem habet ex illa qui fuerit emendatus: Sive inimica veritati in aliquem sæviat, laudem habet ex illa qui victor fuerit coronatus.

Quomodo confidimus ex divinis litteris accepisse nos Chri-

ſtum manifeſtum, ſi non inde accepimus & Eccleſiam manifeſtam?

Ipſa eſt Eccleſia, quæ intra ſagenam dominicam cum malis piſcibus natat, à quibus corde ſemper & moribus ſeparatur atque diſcedit, ut exhibeatur viro ſuo glorioſa, non habens maculam neque rugam. Corporalem autem ſeparationem in littore maris, hoc eſt in fine ſæculi expectat, corrigens quos poteſt, tolerans quos corrigere non valet: non tamen propter eorum, quos non corrigit iniquitatem, ipſa bonorum deſerit unitatem.

Hac ratione, quamvis baptizatum ſit poſt Joannem, non baptizatur poſt hæreticum, qua ratione quamvis baptizatum ſit poſt Joannem, non baptizatur poſt ebrioſum; quoniam & hæreſes & ebrietates in eis operibus ſunt, quæ opera qui agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Nonne tibi videtur quaſi intolerabiliter indignum, ut cum baptizatum fuerit poſt eum qui

non sobrie vinum bibens, sed vinum omnino non bibens, regno Dei viam paravit, non baptizetur post ebriosum qui regnum Dei non possidebit? Quid hîc respondetur, nisi quia ille baptismus erat Joannis, post quem Christi baptismo baptizavit Apostolus: iste autem baptismus Christi est, quo baptizavit ebriosus? Inter Joannem & ebriosum à contrario multum interest: inter baptismum Christi & baptismum Joannis, non à contrario, sed tamen multum interest. Inter Apostolum & ebriosum multum interest: inter baptismum Christi quem dedit Apostolus, & baptismum Christi quem dedit ebriosus, nihil interest. Sic inter Joannem & hæreticum à contrario multum interest, & inter baptismum Joannis & inter baptismum Christi quem dat hæreticus, non à contrario, sed multum interest. Inter baptismum autem Christi quem dedit Apostolus, & baptismum Christi quem dat hæ-

reticus, nihil interest. Agnoscitur enim species Sacramentorum æqualis, etiam cum magna differentia est in hominum meritis.

Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam. Confusio adducit peccatum, cum erubescit quisque pravam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut diu errasse se-ipso judice teneatur. Confusio autem adducit gratiam & gloriam, cum erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur. Eccl. 4.

Aliter absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens. Illa indigentia, iste potentia. Ep. 49. quæst. 1.

Futuræ resurrectionis corpus imperfectæ felicitatis erit, si cibos sumere non potuerit: imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit.

Salus Religionis hujus per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. quæst. 2.

quæſt.3. Nobis prodeſt colere Deum, non ipſi Deo.

Mutatio non Dei, non ipſius religionis, ſed ſacrificiorum & Sacramentorum impudenter nunc videretur prædicata, niſi fuiſſet ante prædicta.

Quemadmodum unus idemque homo ſi Deo mane aliud offerat, aliud veſpere, pro congruentia diurni temporis, non Deum mutat, non religionem, ſicut nec ſalutem qui alio modo mane, alio veſpere ſalutat: ita in univerſo tractu ſæculorum cum aliud oblatum eſt ab antiquis Sanctis, aliud ab eis qui nunc ſunt offertur, non humana præſumptione, ſed authoritate divina temporibus congrua Sacra myſteria celebrantur, non Deus aut religio commutatur.

quæſt.4. Ex qualitatibus voluntatum, non ex temporum ſpacijs, ſive recte facta, ſive peccata metimur.

quæſt.6. Si movent ad fidem quæ figurate tantum dicta non facta ſunt, quanto magis movere debent,

quæ figurate non tantum dicta sed facta sunt? Nam sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia factis loquitur. Et sicut sermoni humano verba nova, vel minus usitata, moderate ac decenter aspersa, splendorem addunt: ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus, quodammodo luculentior est divina eloquentia.

Aliquando sicut audimus, non- Ep. 50.
nulli ex (Donatistis) volentes sibi ipsis.
Gothos conciliare, quando eos vident aliquid posse, dicunt hoc se credere quod & illi credunt. Sed majorum suorum authoritate vincuntur, quia nec Donatus ipse sic credidisse asseritur, de cujus parte se esse gloriantur.

Hæreses & scandala futura prædicta sunt, ut inter inimicos erudiamur, ac sic & fides & dilectio nostra possit esse probatior: fides utique, ne ab eis decipiamur: dilectio autem, ut etiam ipsis corrigendis quantum possumus consu-

lamus, non solum instantes ne infirmis noceant, atque ut ab errore nefario liberentur, sed etiam orantes pro eis, ut aperiat Dominus illis sensum, & intelligant Scripturas.

Ecclesiam Christi, quæ non litigiosis opinionibus fingitur, sed divinis attestationibus comprobatur, propter quemlibet hominem relinquere non debemus.

Qui divina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonij perdiderunt.

Molestus est & medicus furenti phrenetico & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cædendo, ambo diligendo. Si autem illos negligant & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa crudelitas est.

Si equus & mulus, quibus non est intellectus, morsibus & calcibus resistunt hominibus, à quibus eorum curanda vulnera contrectantur; & cum inter dentes eorum & calces sæpe homines periclitentur,

& aliquando vexentur, non tamen eos deserunt, donec per dolores & molestias medicinales revocent ad salutem: quanto magis homo ab homine, frater à fratre, ne in æternum pereat, non est deserendus, qui correctus intelligere potest quantum sibi præstabatur beneficium, quando se perpeti persecutionem querebatur?

Imperatores quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, & coronantur perseverantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sævientes, & corriguntur intelligentes. Quicumque ergo legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. Quicumque autem legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Nam & temporibus Prophetarum omnes Reges qui in populo Dei non

prohibuerunt nec everterunt quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur: & qui prohibuerunt & everterunt, super aliorum merita laudantur.

Veri martyres illi sunt, de quibus Dominus ait: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Non ergo qui propter iniquitatem & propter Christianæ unitatis impiam divisionem, sed qui propter justitiam persecutionem patiuntur, hi martyres veri sunt. Nam & Agar passa est persecutionem à Sara, & illa erat sancta quæ faciebat, illa iniqua quæ patiebatur. Nunquid & huic persecutioni, quam passa est Agar, comparandus est sanctus David, quem persecutus est iniquus Saül? Valde utique distat, non quia patiebatur, sed quia propter justitiam patiebatur. Et ipse Dominus cum latronibus crucifixus est. Sed quos passio jungebat, causa separabat.

Si Ecclesia vera ipsa est quæ persecutionem patitur, non quæ facit, quærant ab Apostolo quam

Ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancillę. Liberam quippe matrem nostram cælestem Hierusalem, id est veram Dei Ecclesiam, in illa muliere dicit fuisse figuratam, quæ affligebat ancillam. Si autem melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo, quàm illam Sara coërcendo: illa enim dominæ faciebat injuriam, ista imponebat superbiæ disciplinam. Deinde quæro, si boni & sancti nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur, cujus putant esse in Psalmo vocem, ubi legitur: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant.* Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio injusta quam faciunt impij Ecclesiæ Christi: & est justa persecutio quam facit impiis Ecclesia Christi. Ista itaque beata est quæ persecutionem patitur propter justitiam: illi vero miseri qui persecutionem patiuntur propter

Ps. 14.

præciso ramo qui intus est, ille qui foris est inseratur, non tamen nullo, sed vel levissimo arboris vulnere.

Ut constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est: *Quæ solveris in terra, erunt soluta & in cælo.* Sed ne forsitan etiam * de cæ-

* detectis. teris criminibus, spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo sit Clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina major & verior esset humilitatis. Nam & sanctus David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum, quando ama-

amarissimas lacrymas fudit, utique negasse Dominum pœnituit, & tamen Apostolus mansit. Sed non ideo supervacua putanda est posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur, experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias: cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.

Ecclesia Catholica sola corpus est Christi, cujus ille caput est Salvator corporis sui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus.

Non est particeps divinæ charitatis, qui hostis est unitatis.

Non habent Spiritum Sanctum, qui sunt extra Ecclesiam. De illis quippe scriptum est: *Qui seipsos segregant, animales, spiritum non habentes.* Sed nec ille eum percipit qui fictus est in Ecclesia: quoniam & inde scriptum est: *Sanctus enim*

non sobrie vinum bibens, sed vinum omnino non bibens, regno Dei viam paravit, non baptizetur post ebriosum qui regnum Dei non possidebit? Quid hîc respondetur, nisi quia ille baptismus erat Joannis, post quem Christi baptismo baptizavit Apostolus: iste autem baptismus Christi est, quo baptizavit ebriosus? Inter Joannem & ebriosum à contrario multum interest: inter baptismum Christi & baptismum Joannis, non à contrario, sed tamen multum interest. Inter Apostolum & ebriosum multum interest: inter baptismum Christi quem dedit Apostolus, & baptismum Christi quem dedit ebriosus, nihil interest. Sic inter Joannem & hæreticum à contrario multum interest, & inter baptismum Joannis & inter baptismum Christi quem dat hæreticus, non à contrario, sed multum interest. Inter baptismum autem Christi quem dedit Apostolus, & baptismum Christi quem dat hæ-

reticus, nihil interest. Agnoscitur enim species Sacramentorum æqualis, etiam cum magna differentia est in hominum meritis.

Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam. Confusio adducit peccatum, cum erubescit quisque pravam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut diu errasse se-ipso judice teneatur. Confusio autem adducit gratiam & gloriam, cum erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur. Eccl. 4.

Aliter absorbet terra aquam sitiens, aliter solis radius candens. Illa indigentia, iste potentia. Ep. 49. quæst. 1.

Futuræ resurrectionis corpus imperfectæ felicitatis erit, si cibos sumere non potuerit: imperfectæ felicitatis, si cibis eguerit.

Salus Religionis hujus per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit. quæst. 2.

quæſt.3. Nobis prodeſt colere Deum, non ipſi Deo.

Mutatio non Dei, non ipſius religionis, ſed ſacrificiorum & Sacramentorum impudenter nunc videretur prædicata, niſi fuiſſet ante prædicta.

Quemadmodum unus idemque homo ſi Deo mane aliud offerat, aliud veſpere, pro congruentia diurni temporis, non Deum mutat, non religionem, ſicut nec ſalutem qui alio modo mane, alio veſpere ſalutat: ita in univerſo tractu ſæculorum cum aliud oblatum eſt ab antiquis Sanctis, aliud ab eis qui nunc ſunt offertur, non humana præſumptione, ſed authoritate divina temporibus congrua Sacra myſteria celebrantur, non Deus aut religio commutatur.

quæſt.4. Ex qualitatibus voluntatum, non ex temporum ſpacijs, ſive recte facta, ſive peccata metimur.

quæſt.6. Si movent ad fidem quæ figurate tantum dicta non facta ſunt, quanto magis movere debent,

quæ figurate non tantum dicta sed facta sunt ? Nam sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia factis loquitur. Et sicut sermoni humano verba nova, vel minus usitata, moderate ac decenter aspersa, splendorem addunt : ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus, quodammodo luculentior est divina eloquentia.

Aliquando sicut audimus, non- Ep. 50.
nulli ex (Donatistis) volentes sibi ipsis.
Gothos conciliare, quando eos vident aliquid posse, dicunt hoc se credere quod & illi credunt. Sed majorum suorum authoritate vincuntur, quia nec Donatus ipse sic credidisse asseritur, de cujus parte se esse gloriantur.

Hæreses & scandala futura prædicta sunt, ut inter inimicos eruditamur, ac sic & fides & dilectio nostra possit esse probatior : fides utique, ne ab eis decipiamur : dilectio autem, ut etiam ipsis corrigendis quantum possumus consu-

lamus, non solum instantes ne infirmis noceant, atque ut ab errore nefario liberentur, sed etiam orantes pro eis, ut aperiat Dominus illis sensum, & intelligant Scripturas.

Ecclesiam Christi, quæ non litigiosis opinionibus fingitur, sed divinis attestationibus comprobatur, propter quemlibet hominem relinquere non debemus.

Qui divina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonij perdiderunt.

Molestus est & medicus furenti phrenetico & pater indisciplinato filio, ille ligando, iste cædendo, ambo diligendo. Si autem illos negligant & perire permittant, ista potius mansuetudo falsa crudelitas est.

Si equus & mulus, quibus non est intellectus, morsibus & calcibus resistunt hominibus, à quibus eorum curanda vulnera contrectantur; & cum inter dentes eorum & calces sæpe homines periclitentur,

& aliquando vexentur, non tamen eos deserunt, donec per dolores & molestias medicinales revocent ad salutem: quanto magis homo ab homine, frater à fratre, ne in æternum pereat, non est deserendus, qui correctus intelligere potest quantum sibi præstabatur beneficium, quando se perpeti persecutionem querebatur?

Imperatores quando pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, & coronantur perseverantes. Quando autem pro veritate contra falsitatem constituunt bonas leges, terrentur sævientes, & corriguntur intelligentes. Quicumque ergo legibus Imperatorum, quæ contra veritatem Dei feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. Quicumque autem legibus Imperatorum, quæ pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande supplicium. Nam & temporibus Prophetarum omnes Reges qui in populo Dei non

prohibuerunt nec everterunt quæ contra Dei præcepta fuerant instituta, culpantur: & qui prohibuerunt & everterunt, super aliorum merita laudantur.

Veri martyres illi sunt, de quibus Dominus ait: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Non ergo qui propter iniquitatem & propter Christianæ unitatis impiam divisionem, sed qui propter justitiam persecutionem patiuntur, hi martyres veri sunt. Nam & Agar passa est persecutionem à Sara, & illa erat sancta quæ faciebat, illa iniqua quæ patiebatur. Nunquid & huic persecutioni, quam passa est Agar, comparandus est sanctus David, quem persecutus est iniquus Saül? Valde utique distat, non quia patiebatur, sed quia propter justitiam patiebatur. Et ipse Dominus cum latronibus crucifixus est. Sed quos passio jungebat, causa separabat.

Si Ecclesia vera ipsa est quæ persecutionem patitur, non quæ facit, quærant ab Apostolo quam

Ecclesiam significabat Sara, quando persecutionem faciebat ancillę. Liberam quippe matrem nostram cælestem Hierusalem, id est veram Dei Ecclesiam, in illa muliere dicit fuisse figuratam, quæ affligebat ancillam. Si autem melius discutiamus, magis illa persequebatur Saram superbiendo, quàm illam Sara coërcendo: illa enim dominæ faciebat injuriam, ista imponebat superbiæ disciplinam. Deinde quæro, si boni & sancti nemini faciunt persecutionem, sed tantummodo patiuntur, cujus putant esse in Psalmo vocem, ubi legitur: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant.* Si ergo verum dicere vel agnoscere volumus, est persecutio injusta quam faciunt impij Ecclesiæ Christi: & est justa persecutio quam facit impiis Ecclesia Christi. Ista itaque beata est quæ persecutionem patitur propter justitiam: illi vero miseri qui persecutionem patiuntur propter

Ps. 14.

injustitiam. Proinde ista persequitur diligendo, illi sæviendo: ista ut corrigat, illi ut evertant: ista ut revocet ab errore, illi ut præcipitent in errorem.

Quomodo Reges Domino serviunt in timore, nisi ea quæ contra jussa Domini fiunt, religiosa severitate prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit quia homo est, aliter quia etiam & Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia vero etiam Rex est, servit Leges justa præcipientes & contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo: sicut servivit
4. Reg. 19. Ezechias lucos & templa idolorum, & illa excelsa quæ contra Dei præcepta fuerant construenda de-
4. Reg. 22. struendo. Sicut servivit Josias talia & ipse faciendo. Sicut servivit Rex
Jonæ 3. Ninivitarum, universam ciuitatem ad placandum Dominum compel-
Dan. 14 lendo. Sicut servivit Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo. Sicut servivit

Nabuchodonosor omnes in suo regno positos à blasphemando Deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo serviunt Domino Reges, inquantum sunt Reges, cum ea faciunt ad serviendum illi quæ non possunt facere nisi Reges. Dan. 3.

Sicut meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt quos corrigit timor.

Quemadmodum membrum, si præcidatur ab hominis vivi corpore, non potest tenere spiritum vitæ: sic homo qui præciditur de Christi justi corpore multo modo potest spiritum tenere justitiæ, etiamsi figuram membri teneat quam sumpsit in corpore.

Cum præcisus ramus inseritur, fit aliud vulnus in arbore quo possit recipi ut vivat, qui sine vita radicis peribat. Sed cum receptus recipienti coaluerit, & vigor consequetur & fructus. Si autem non coaluerit, ille quidem arescit, sed vita arboris permanebit: est enim & tale inserendi genus, ut nullo

præciso ramo qui intus est, ille qui foris est inseratur, non tamen nullo, sed vel levissimo arboris vulnere.

Ut constitueretur in Ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu maneat, non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ. Alioquin contra claves datas Ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est: *Quæ solveris in terra, erunt soluta & in cælo.* Sed ne forsitan etiam * de cæ-

* detectiu. teris criminibus, spe honoris Ecclesiastici animus intumescens superbe ageret pœnitentiam, severissime placuit ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo sit Clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina major & verior esset humilitatis. Nam & sanctus David de criminibus mortiferis pœnitentiam egit, & tamen in honore suo perstitit. Et beatum Petrum, quando ama-

amariſſimas lacrymas fudit, utique negaſſe Dominum pœnituit, & tamen Apoſtolus manſit. Sed non ideo ſupervacua putanda eſt poſteriorum diligentia, qui ubi ſaluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo ſalus tutius muniretur, experti, credo, aliquorum fictas pœnitentias per affectatas honorum potentias: cogunt enim multas invenire medicinas multorum experimenta morborum.

Eccleſia Catholica ſola corpus eſt Chriſti, cujus ille caput eſt Salvator corporis ſui. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus.

Non eſt particeps divinæ charitatis, qui hoſtis eſt unitatis.

Non habent Spiritum Sanctum, qui ſunt extra Eccleſiam. De illis quippe ſcriptum eſt: *Qui ſeipſos ſegregant, animales, ſpiritum non habentes.* Sed nec ille eum percipit qui fictus eſt in Eccleſia: quoniam & inde ſcriptum eſt: *Sanctus enim*

Spiritus disciplinæ effugiet fictum. Qui ergo vult habere Spiritum Sanctum, caveat foris ab Ecclesia remanere, caveat in eam simulate intrare. Aut si jam talis intravit, caveat in eadem simulatione persistere, ut veraciter coalescat arbori vitæ.

Ep. 52. Nemo potest veraciter amicus esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis: quod si gratis non fiat, nullo fieri pacto potest.

Neque facit beatum hominem, nisi qui fecit hominem.

Quædam acutissima & excellentissima ingenia tanto in majores errores ierunt, quanto præfidentius tanquam suis viribus cucurrerunt, nec simpliciter ac veraciter Deum ut viam sibi ostenderet, petiverunt.

In hac vita virtus non est nisi diligere quod diligendum est. Id eligere prudentia est: nullis inde avelli molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, justitia est.

Ad eum qui ubique præsens est

& ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus. Mores autem nostri non ex eo quod quisque novit, sed ex eo quod quisque diligit, dijudicari solent. Nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores.

Rectum amando corrigimur, ut recto recti adhærere possimus.

Quia nemo nisi diligendo Deum, diligit seipsum, non opus erat ut dato de Dei dilectione præcepto, etiam seipsum homo diligere juberetur, cum in eo diligat seipsum quod diligit Deum.

Omnes boni & sancti, etiam in tormentis quibuslibet divino fulti adjutorio, spe illius finis beati vocantur, quo fine beati erunt.

Pietas, id est, verus veri Dei cultus ad omnia prodest, & quæ molestias hujus vitæ avertat aut leniat, & quæ ad illam vitam salutemque perducat, ubi nec aliquid iam mali patiamur, & bono summo sempiternoque perfruamur.

Facile est atque proclive malos

odisse, quia mali sunt: rarum autem & pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt, ut in uno simul & culpam improbes, & naturam approbes, ac propterea culpam iustius oderis quod ea fœdatur natura quam diligis.

Non est iniquitatis, sed potius humanitatis societate devinctus, qui propterea est criminis persecutor, ut sit hominis liberator.

Morum corrigendorum nullus alius quàm in vita locus: nam post hanc quisque id habebit quod in hac sibimet conquisierit.

Ideo compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut ea finita non possint finire supplicium.

Nihil aliud agit, quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod mali fecerit, impunitum esse non sinat.

Defensor ab interfessore plurimum distat: nam ille diluendis vel obtegendis criminibus operam maxime impendit. Interfessor au-

tem etiam cum de culpa constat, pro pœna removenda vel temperanda curam gerit.

Deus singulariter bonus est, & hoc amittere non potest: nullius enim boni participatione bonus est, quoniam bonum quo bonus est, ipse sibi est: homo autem cum bonus est, ab illo bonus est, quod à seipso esse non potest.

Pertinet ad nos, ut boni simus, accipere & habere quod dat, qui de suo bonus est. Quo quisque neglecto, de suo malus est.

Non bonus est quisquam timore pœnæ, sed amore iustitiæ.

Non inutiliter etiam metu legum humana coërcetur audacia, & ut tuta sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis dum formidato supplicio frænatur facultas, invocato Deo sanetur voluntas.

Plurimum interest quo animo quisque parcat: licuti enim est aliquando misericordia puniens, ita & crudelitas parcens.

Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed, ut dixi, cum restitui potest. Plerumque enim qui aufert amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse male vivendo, nec aliud habet unde restituat. Huic certe non possumus dicere: Redde quod abstulisti, nisi cum habere credimus & negare.

Credibilia nonnulla sunt falsa, sicut incredibilia nonnulla sunt vera.

Justitiam & nemo male habet, & qui non dilexerit, non habet: pecunia vero & à malis male habetur, & à bonis tanto melius habetur, quanto minus amatur.

Dioscor. Ep. 56. Nolo prius aliquid doceas quod dedisscendum est ut vera doceas.

Cognitio veritatis omnia falsa, si modo proferantur, etiam quæ prius inaudita erant, & dijudicare,

& subvertere idonea est.

Sicut unus homo est anima rationalis & caro, sic & unus Christus est Verbum & homo. Ep 57.

Et filius hominis secundum Deum erat in cælo, & Filius Dei secundum hominem crucifigebatur in terra.

Cavendum est ne ita divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus: nam & de nobis verissima Scriptura dicit, quod in illo vivimus, movemur & sumus, nec tamen sicut ille ubique sumus, sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine proprio quodam & singulari modo. Una enim persona Deus & homo est, & utrumque est unus Christus Jesus, ubique per id quod Deus est; in cælo autem per id quod homo.

Sic est Deus per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore

regens, & sine onere continens mundum. Non tamen perspicacia locorum quasi mole diffusa, ita ut in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius: atque ita per totum totus, sed in solo cælo totus, & in sola terra totus, & in cælo & in terra totus solus: & nullo contentus loco, sed in seipso ubique totus.

Fatendum est ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per habitationis gratiam.

Nuptiarum bonum non extinguit, sed modificat inobedientium membrorum malum, ut limitata quodammodo concupiscentia carnalis, fiat saltem pudicitia conjugalis.

Illa sanctificatio qua efficimur & singuli templa Dei, & in unum omnes templum Dei, non est nisi renatorum, quod nisi nati homines esse non possunt.

Nullus vitam in qua natus est, bene finiet, nisi renatus antequam finiat.

Habitat

Habitat in ſingulis Deus tanquam in templis ſuis, & in omnibus ſimul in unum congregatis, tanquam in templo ſuo.

Vigilant & latrant boni canes & pro domo, & pro Domino, & pro grege, & pro paſtore.

Pretium redemptionis noſtræ ſanguis eſt Chriſti.

Semper debeo charitatem, quæ ſola etiam reddita, ſemper detinet debitorem. Redditur enim cum impenditur, debetur autem etiamſi reddita fuerit, quia nullum eſt tempus quando impendenda jam non ſit: nec cum redditur amittitur, ſed potius reddendo multiplicatur: habendo enim redditur, non carendo. Et cum reddi non poſſit niſi habeatur, nec haberi poteſt niſi reddatur: immo etiam cum redditur ab homine, creſcit in homine, & tanto major acquiriritur, quanto pluribus redditur.

Optamus fieri amicum quem veraciter diligimus inimicum: quia non eum diligimus, niſi velimus

bonum, quod utique non erit nisi amiserit amicitiarum malum.

Non sic impenditur charitas ut pecunia. Excepto enim quod impendendo illa minuitur, hæc augetur: etiam illo inter se differunt, quod pecuniam cui dederimus tunc ei benevolentiores erimus, si recipere non quæramus: non autem potest esse verus charitatis impensor, nisi fuerit benignus exactor: quoniam pecunia cum recipitur, accedit cui datur, sed recedit à quo datur: charitas vero non solum apud eum crescit qui hanc ab eo quem diligit exigit, etiam si non recipit; sed etiam ille à quo eam recipit, tunc incipit habere cum reddit.

Ep. 63. Est natura per locos & tempora mutabilis, ut est corpus. Et est natura per locos nullo modo, sed tantum per tempora etiam ipsa mutabilis, ut anima. Et est natura quæ nec per locos nec per tempora mutari potest, hoc Deus est.

Ep. 64. Magnum est de honoribus &

laudibus hominum non lætari, sed omnem pompam inanem præcidere, & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutemque conferre.

Non hujus* hostis vires sentit, nisi qui ei bellum indixerit: quia etsi cuiquam facile est laude carere dum denegatur, difficile est ea non delectari cum offertur. Et tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, ut si non merito laudemur, corrigamus eos quos possumus, ne arbitrentur aut in nobis esse quod non est, aut nostrum esse quod Dei est, aut ea laudent quæ quamvis non desint nobis aut etiam superfint, nequaquam tamen sunt laudabilia, velut sunt bona omnia quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impijs hominibus. Si autem merito laudamur, propter Deum gratulemur eis quibus placet verum bonum; non tamen pro his quia placemus hominibus,

* *Hostis ille est amor laudis.*

non utens, ut ex bonis ejus bona facias, non malus fias: quia & ipsa bona sunt, nec dantur hominibus nisi ab illo qui habet omnium cælestium & terrestrium potestatem. Sed ne putentur mala, dantur & bonis: ne putentur magna vel summa bona, dantur & malis. Itemque auferuntur ista & bonis ut probentur, & malis ut crucientur. Quis enim nesciat, quis ita sit stultus ut non videat, quod salus hujus mortalis corporis, & membrorum corruptibilium virtus, & victoria de hominibus inimicis, & honor atque potentia temporalis, & cætera istius mundi bona terrena & bonis dantur & malis, & bonis auferuntur & malis? Salus vero animæ cum immortalitate corporis, virtusque justitiæ, & victoria de cupiditatibus inimicis, & gloria & honor & pax in æternum non dantur nisi bonis.

Bona terrena noli diligere, quantalibet tibi abundent. Sic eis ute-

re, ut bona multa ex illis, nullum autem malum facias propter illa.

In silentio pugnant milites Christi, non ut occidant homines; sed ut expugnent principes & potestates, & spiritualia nequitiæ, id est, Diabolum & Angelos ejus. Hos enim hostes sancti vincunt, quod videre non possunt, & tamen quos non vident vincunt, ista vincendo quæ sentiunt.

Ep. 72. Cum sibi memoria præteriti temporis vindicet tenacitatem, constat eam tamen partim eorum esse quæ nos deserunt, partim eorum quæ deseruntur à nobis. Nam cum recordo patrem meum, id utique recordor quod me deseruit & nunc non est: cum autem Carthaginem, id quod est & quod ipse deserui. In utroque tamen generum horum præteritum tempus memoria tenet. Nam & illum hominem & istam urbem ex eo quod vidi, non ex eo quod video memini.

Omnes has imagines, quas

phantasias cum multis vocas, in tria genera commodissime ac verissime distribui video. Quorum est unum sensis rebus impressum, alterum putatis, tertium ratis.

Nolo de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos qui neque conjugati, neque conjugari cupientes cogitare debeant quomodo placeant Deo. *Ep. 73. Possidio.*

Fucari pigmentis quo vel rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt fœminæ ornari, secundum veniam, non secundum imperium. Nam verus ornatus maxime Christianorum & Christianarum, non tantum nullus fucus mendax, verum ne auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt.

Ordini Clericorum fit indignissima injuria, si desertores Monasteriorum ad militiam Clericatus *Ep. 76.*

eligantur, cum ex iis qui in Monasterio permanent, non tamen nisi probatiores atque meliores in Clerum assumere soleamus: nisi forte sicut vulgares dicunt: Malus Choraula bonus Symphoniacus est: ita idem ipsi vulgares de nobis jocabuntur dicentes: Malus Monachus bonus Clericus est. Nimis dolendum, si ad tam ruinosam superbiam Monachos surrigamus, & tam gravi contumelia Clericos dignos putemus in quorum numero sumus, cum aliquando etiam bonus Monachus vix bonum Clericum faciat, si adsit ei sufficiens continentia, & tamen desit instructio necessaria, aut personæ regularis integritas.

Ep. 77. Quid melius & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.

Ep. 80. Vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inveniat eum

Domini adventus. Imparatum autem inveniet ille dies, quem imparatum invenerit ſuæ vitæ huius ultimus dies.

Quid ſufferat, qui fratrem non ſuffert. *Ep. 81.*

In hoc mundo non timere, non dolere, non laborare, non periclitari impoſſibile eſt. *Ep. 82.*

Nemo quod legit, in codice ipſo cernit verum eſſe, aut in eo qui ſcripſerit, ſed in ſeipſo potius, ſi ejus menti quoddam non vulgariter candidum, ſed à fece corporis remotiſſimum lumen veritatis impreſſum eſt. *Ep. 84.*

Habet fides oculos ſuos, quibus quodammodo videt verum eſſe quod nondum videt, & quibus certiſſime videt nondum ſe videre quod credit. *Ep. 85.*

Qui vera ratione jam quod tantummodo credebat, intelligit, profecto præponendus eſt ei qui cupit adhuc intelligere quod credit: ſi autem nec cupit, & ea quæ intelligenda ſunt, credenda tantummodo

existimat, cui rei fides prosit, ignorat. Nam pia fides sine spe & charitate esse non vult.

Sic homo fidelis debet credere quod nondum videt, ut visionem & speret & amet.

Ep. 86. In his rebus de quibus nihil certi statuit Scriptura divina, mos populi Dei vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.

Jejunium certis diebus, & maxime festis, non agitur.

Sacrificium laudis ab Ecclesia toto orbe diffusa diebus omnibus immolatur.

Die dominico jejunare scandalum est magnum, maxime posteaquam innoruit detestabilis multumque Fidei Catholicæ Scripturisque divinis apertissime contraria hæresis Manichæorum, qui suis auditoribus ad jejunandum istum tanquam constituerunt legitimum diem, per quod factum est ut jejunium diei dominicæ horribilius haberetur. Nisi forte aliquis idoneus sit nulla refectione interpo-

sita ultra hebdomadam perpetuare jejunium, ut jejunio quadraginta dierum quantum potuerit appropinquet, sicut alios fecisse cognovimus. Nam & ad ipsum quadragenarium numerum pervenisse quemdam, à fratribus fide dignissimis nobis asseveratum est: quemadmodum enim veterum Patrum temporibus, Moyses & Helias nihil contra prandia sabbatorum fecerunt cum diebus quadraginta jejunaverunt: ita qui potuerit septem dies jejunando transire, non sibi ad jejunandum eligit dominicum diem, sed in ijs cum invenit quos jejunaturum se vovit plurimos dies. Jejunium tamen etiam continuatum, si in hebdomade solvendum est, nullo congruentius quàm dominico die solvitur. Si autem post hebdomadem corpus reficitur, non utique ad jejunandum dies eligitur, sed in numero quem voveri placuit, invenitur.

Cur quarta & sexta maxime jejunet Ecclesia, illa ratio reddi vi-

detur, quod considerato Evangelio, ipsa quarta sabbati quam vulgo quartam feriam vocant, consilium reperiuntur ad occidendum Dominum feciſſe Judæi. Intermiſſo autem uno die, cujus veſpera Dominus Paſcha cum Diſcipulis manducavit, qui finis fuit ejus diei, quem vocamus quintam ſabbati: deinde traditus eſt ea nocte, quæ jam ad ſextam ſabbati, qui dies Paſſionis eius manifeſtus eſt, pertinebat.

Ep. 87. Quàm multa habeant impii in hac vita munera & dona gratuita ab illo quem contemnunt, enumerare quis poteſt? Inter quæ illud magnum, quod exemplis interpoſitarum tribulationum, quas huius ſeculi dulcedini tanquam bonus Medicus miſcet, admonet eos ſi attendere velint, fugere ab ira ventura; & cum in via ſunt, id eſt, in hac vita, concordare cum ſermone Dei quem ſibi adverſarium habent male vivendo.

Quid non miſericorditer præ-

ſtatur hominibus à Domino Deo, à quo etiam tribulatio beneficium eſt? Nam res proſpera donum eſt conſolantis, res autem adverſa donum eſt admonentis Dei.

Diſſenſiones nunquam debent amari, ſed aliquando tamen aut à charitate naſcuntur, aut charitatem probant.

Quis facile invenitur qui velit reprehendi, & ubi eſt ille ſapiens de quo dictum eſt: *Corripe ſapientem, & amabit te.* *Prou. 89.*

Omnibus neceſſaria eſt oratio dominica, quam etiam ipſis arietibus gregis, id eſt, Apoſtolis ſuis Dominus dedit, ut unuſquiſque Deo dicat: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Cui enim hæc in oratione verba neceſſaria non fuerint, ipſe hîc ſine peccato vivere pronunciandus eſt. Quales ſi aliquos futuros Dominus prævideret, meliores utique quàm extiterunt eius Apoſtoli, aliam orationem illos doceret, qua non pete- *Ep. 89.*

rent dimitti sibi peccata, quibus in baptismo fuerant omnia iam dimissa.

Valet liberum arbitrium ad opera bona, si divinitas adiuvetur, quod fit humiliter petendo & faciendo: desertum vero divino adiutorio qualibet scientia Legis excellat, nullo modo habet iustitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ, & exitiosum tumorem.

Animus velut pondere, amore fertur quocumque fertur.

Jubet Deus continentiam, & dat continentiam: iubet per legem, dat per gratiam: iubet per litteram, dat per spiritum: Lex enim sine gratia facit abundare delictum, & littera sine spiritu occidit. Jubet ideo, ut facere iussa conati, & in nostra infirmitate sub lege fatigati adiutorium gratiæ poscere noverimus; & si quid facere potuerimus operis boni, ei qui adiuvat, non simus ingrati.

Satius est minus quemque habere quod à Deo petat, quàm plus

habere quod sibi tribuat: quoniam expedit ex imo surgere, quàm ex alto cadere.

Regenerationi non sufficit illud delictum tantummodo solvere quod ex Adam trahitur, sed quicquid etiam postea ex iniquis operibus humanæ conversationis accedit.

Libertas sine gratia non est libertas, sed contumacia.

Timendum est ne plura putrescant, dum putribus parcitur.

In suis exhortationibus ad maiora sic excitent, ut minora non damnent.

Totum mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere dimittit.

Jurationem cave quantum potes. Melius quippe nec verum iuratur, quàm iurandi consuetudine & in periurium sæpe caditur, & semper periurio propinquatur.

Putant se non iurare, quando in ore habent: *Scit Deus:* &, *Testis est Deus:* &, *Testem Deum in-*

voco super animam meam: quia non dicitur, *Per Deum*, & quia talia reperiuntur in Apostolo Paulo. Sed non ideo, quia in suis litteris iuravit Apostolus vir in veritate firmissimus, ludus nobis debet esse iuratio: multo enim tutius, quantum ad nos attinet, nunquam iuramus, ut sit in ore nostro *est, est, non, non:* sicut Dominus monet. Non quia peccatum est verum iurare, sed gravissimum est falsum iurare, quo citius cadit qui consuevit iurare.

Ep. 95. Lex iubere novit, gratia iuvare. Nec lex iuberet nisi esset voluntas, nec gratia iuvaret si sat esset voluntas. Jubetur ut habeamus in-
Psal. 31. tellectum, ubi dicitur: *Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.* Et tamen oramus ut habeamus intellectum, ubi dicitur:
Psal. 118 *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua.* Jubetur ut non faciamus
Psal. 36 malum, ubi dicitur, *Declina à malo:* & tamen oratur ut non faciamus malum, ubi dicitur: *Ora-*

mus

mus autem ad Dominum ne quid faciatis mali. Jubetur ut faciamus bonum, ubi dicitur: *Et fac bonum:* & tamen oramus ut faciamus bonum, ubi dicitur: *Non cessamus pro vobis orantes & postulantes ut ambuletis digne Deo in omne placitum, in omni opere & sermone bono.* 2.Cor.13 Psal.36. Coloss.1

Istæ causæ sunt admirationis, cum vel ratio cujusque rei latet, vel eadem res usitata non est, quod aut singularis aut rara est. Ep.101.

Solus Christus natus est ex virgine.

Habent omnia causas suas atque rationes rectas atque inculpabiles, quæ Deus vel usitata vel inusitata operatur. Sed hæ causæ atque rationes cum latent, miramur cum fiunt: cum autem patent, consequenter ea vel convenienter fieri dicimus, nec mirandum esse, quia facta sunt quæ ratio exigebat ut fierent. Aut si miramur, non inopinata stupendo, sed excellentia laudando miramur.

Laborant homines in discendo,

& brevia non valent intelligere, prolixa non amant legere.

Ep. 102. In unum Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum credamus: ita ut nec Filius credatur esse qui Pater est, nec Pater qui Filius est, nec Pater nec Filius qui utriusque Spiritus est. Nihil putetur in hac Trinitate temporibus loci sive distare, sed hæc tria æqualia esse & coæterna, & omnino esse una natura: non à Patre aliam, & à Filio aliam, & à Spiritu Sancto aliam condiram esse creaturam, sed omnia & singula quæ creata sunt vel creantur, Trinitate creante subsistere: nec quemquam liberari à Patre sine Filio & Spiritu Sancto, aut à Filio sine Patre & Spiritu Sancto, aut à Spiritu Sancto sine Patre & Filio: sed à Patre & Filio & Spiritu sancto uno, vero, vereque immortali, id est, omni modo incommutabili solo Deo.

Quæ de Filio Dei verba dicuntur, videndum est secundum quid dicantur: non enim homine assum-

pto personarum numerus auctus est, sed eadem trinitas mansit. Nam sicut in homine quolibet, præter unum illum qui singulariter susceptus est, anima & corpus una persona est: ita in Christo Verbum & homo una persona est. Et sicut homo, verbi gratia, philosophus non utique nisi secundum animam dicitur, nec ideo tamen absurde, sed congruentissima & usitatissima locutione dicimus philosophum cęsum, philosophum mortuum, philosophum sepultum, cùm totum secundum carnem accidat, non secundum illud quod est philosophus: ita Christus Deus Dei Filius, Dominus gloriæ, & si quid hujusmodi secundum Verbum dicitur & tamen recte dicitur Deus crucifixus, cùm hoc eum secundum carnem passum esse, non secundum illud quo Dominus gloriæ est, non habeatur incertum.

Nec * illi negligendi sunt, qui usque ad profundum silentium supprimunt timore quod sentiunt, sed *Ep. 104. Pelagiani.*

merita, quibus non gratuita daretur gratia, sed jam nec gratia esset quia debita redderetur, etiam ipsa oratio inter gratiæ munera reperitur. Quid enim oremus, ait Doctor gentium, sicut oportet nescimus, sed ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom. 8.*

Aliter adjuvat (Spiritus Sanctus) nondum inhabitans, aliter inhabitans. Nam nondum inhabitans adjuvat ut sint fideles: inhabitans adjuvat jam fideles.

Ipsa vita æterna, quæ utique in fine fine fine habetur, & ideo meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita quibus redditur, non nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur non ob aliud nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita quibus datur. Ubi autem invenimus etiam vitam æternam gratiam

nuncupari, habemus apud eumdem gratiæ magnificum defensorem Apostolum Paulum : *Stipendium*, inquit, *peccati mors est, gratia autem Dei vita æterna in Christo Iesu Domino nostro.*

Cui debetur vita æterna, vera justitia est.

Cui plus datur, plus exigitur ab eo.

Hæreticorum inquietudine, ut Scripturas vigilantius perscrutemur, unde, ne ovili Christi noceant, eis possit occurri, tanquam de somno ignaviæ nostra excitatur industria.

Non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante non ducente, pedissequa non prævia voluntate.

Ibi grata est indulgentia, ubi justa posset esse vindicta.

Certus est Dei præscientiæ definitus numerus & multitudo Sanctorum, quibus diligentibus

Deum, quod eis donavit per diffusum in cordibus Spiritum Sanctum, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt, quos ante præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.

Quid debet esse jucundius vel infirmis gratia qua sanantur, vel pigris gratia qua excitantur, vel nolentibus gratia qua juvantur?

Non fallamus homines, nam Ep. 107.
Deum fallere non valemus.

Si vere volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, qua nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum.

Utile est omnibus, vel pene omnibus propter humilitatem salubertimam, ut quales futuri sint, scire non possint.

Ideo Deus per orationes creden-

tium nondum credentes credere facit, ut ostendat quia ipse facit. Nemo est enim tam imperitus, tam carnalis, tam tardus ingenio, qui non videat Deum facere quod rogari se præcepit ut faciat.

Qui est orandus ut faciat, illi est actio gratiarum reddenda cum fecerit.

Ep. 108. Quid interest ad naufragium, utrum uno grandi fluctu navis operiatur & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem atque submergat?

Ep. 109. Sicut parata est severitas peccata quæ inuenerit vindicare, ita non vult charitas quod vindicet invenire.

Illæ quæ aliquid esse videbantur in sæculo, non habeant fastidio sorores suas quæ ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt. Magis autem studeant non de parentum divitum dignitate, sed de pauperum sororum

rum ſocietate gloriari: Nec extollantur, ſi communi vitæ de ſuis facultatibus aliquid contulerunt; nec de ſuis divitijs magis ſuperbiant, quia eas Monaſterio partiuntur, quàm ſi eis in ſæculo fruerentur.

Alia quæcumque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: ſuperbia vero bonis operibus inſidiatur, ut pereant.

Quid prodeſt diſpergere dando pauperibus & pauperem fieri, ſi anima miſera ſuperbior efficiatur contemnendo, quàm fuerat poſſidendo?

Impudicus oculus impudici cordis eſt nuncius.

(Deo) timeat ſancta femina diſplicere, ne velit viro male placere: (Deum) cogitet omnia videre, ne velit viro male videri. *illi.* *illum.*

Si ſoror tua vulnus haberet in corpore quod vellet occultari dum timeret ſecari, nonne crudeliter abs te ſileretur, & miſericorditer indicaretur? Quanto ergo potius

eam debes manifestare, ne pernicio-
sius putrescat in corde?

Aliquando etiamsi noceat, prodesse creditur quod delectat.

Neque quorumlibet disputationes quamvis Catholicorum & laudatorum hominum velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis improbare atque respuere, si forte invenerimus quod aliter senserint quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum.

Homo interior videbit Deum.

Ep. 112. Qui didicerunt à Domino Iesu Christo mites esse & humiles corde, plus cogitando & orando proficiunt, quàm legendo & audiendo.

Paulinam hic alloquitur Aug. Nolo authoritatem meam sequaris, ut ideo putes tibi aliquid necesse esse credere, quoniam à

me dicitur; sed aut Scripturis Canonicis credas, si quid nondum quàm verum sit vides, aut interius demonstranti veritati ut hoc plane videas.

Constat nostra scientia ex visis rebus & creditis.

Etsi potestas non est videndi (Deum) est gratia promerendi, ut videre possimus.

Facilius inclinamur ad solita.

Magna secessione à tumultu rerum labentium, mihi crede, opus est, ut non duritia, non audacia, non cupiditate inanis gloriæ, non superstitiosa credulitate fiat in homine, nihil timere. *Ep. 116.*

(Dominus noster Jesus Christus) Sacramentis numero pauciſſimis, observatione facillimis, significatione præstantiſſimis societatem novi populi colligavit, sicuti est baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur, exceptis iis quæ servitutem *Ep. 118.*

populi veteris pro congruentia cordis illorum, & propheticitemporis onerabant, quæ & in quinque libris Moysi leguntur.

Quod neque contra fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.

Si peccata tanta non sunt, ut excommunicandus quisquam homo judicetur, non se debet à quotidiana medicina dominici corporis separare.

Ipsa mutatio consuetudinis etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa consequenter noxia est.

Liquido apparet quando primum acceperunt Discipuli corpus & sanguinem Domini, non eos accepisse jejunos. Nunquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quod à jejunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut

in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius dominicum corpus intraret, quàm * exteri cibi. Ep. 119. * cateri.

Nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum quo ipsam Cænam Dominus dedit, tanquam ad insigniorem commemorationem post cibos offerri & accipi liceat corpus & sanguis Domini.

Ducuntur semper ex rebus visibilibus invisibilium congruæ similitudines.

Requies ubique amatur, sed in solo Deo certa & sancta invenitur.

Quadragesima sane jejuniorum habet authoritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moysi & Heliæ: & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit, demonstrans Evangelium non dissentire à Lege & Prophetis. In persona quippe Moysi lex, in persona Heliæ Prophetæ accipiuntur, inter quos & in monte gloriosus

apparuit, ut evidentius emineret quod de illo dicit Apostolus: Testimonium habens à lege & à Prophetis.

Ecclesia Dei inter multam paleam multáque zizania constituta multa tolerat, & tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.

Januarium hic alloquitur S. Aug.

Tantum absum ab eo quod putasti nihil me latere, ut nihil in Epistola tua legerim tristius, quia & apertissime falsum est. Et miror quia hoc te latet, quod non solum in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis Scripturis multo nesciam plura quàm sciam.

Sic adhibeatur scientia tanquam machina quædam, per quam structura charitatis assurgat, quæ maneat in æternum, etiam cum scientia destruetur, quæ ad finem charitatis adhibita multum est utilis, per se autem ipsam fine tali fine, non modo superflua, sed etiam

pernicioſa probata eſt.

Poteſt anima rationalis etiam temporali & corporali felicitate bene uti, ſi non ſe dederit creaturæ Creatore neglecto, ſed etiam potius felicitatem fecerit ſervire Creatori. E. 120

Nec efficit anima perverſe utens creaturis, ut ordinationem effugiat Creatoris: quoniam ſi illa male utitur bonis, ille bene utitur etiam malis: ac per hoc illa perverſe bonis utendo fit mala, ille ordinate etiam malis utendo permanet bonus. Qui enim injuſte ſe ordinat in peccatis, juſte ordinatur in pœnis.

O homines nolite deſperare vos fieri poſſe filios Dei; quia & ipſe Filius Dei, hoc eſt verbum Dei caro factum eſt, & habitavit in nobis. Reddite vicem, efficiminí ſpiritus, & habitare in illo qui caro factus eſt & habitauit in nobis. Neque enim jam deſperandum eſt participatione Verbi fieri poſſe homines filios Dei,

quando filius Dei participatione carnis factus est filius hominis.

Sicut non augetur numerus personarum, cum accedit caro animæ ut sit unus homo: sic non augetur numerus personarum cum accedit homo Verbo, ut sit unus Christus.

Christus homo, ut per eum revelaretur novi gratia Testamenti, quoniam non ad temporalem sed ad æternam vitam pertinet, non utique terrena felicitate commendandus fuit. Inde subjectio, inde passio, inde flagella, sputa, contumeliæ, crux, vulnera, & tanquam superato subjectoque mors ipsa, ut fideles ejus discerent quale pietatis præmium ab illo, cujus filij facti essent, petere atque sperare debe rent, ne ad hoc pro magno servirent Deo, ut terrenam felicitatem adipisci quærerent qui servirent ipsi, abijcientes & conculcantes fidem suam, æstimando eam mercede viliſſima. Unde beneficentiſſima providentia omnipotens Deus terrenam felicitatem

conceſſit & impijs, ne pro magno quæreretur à bonis.

Diem mortis omnes quidem affuturum ſciunt, & eum tamen omnes aut pene omnes differre conantur, etiam qui poſt mortem ſe beatius credunt eſſe victuros.

Nihil eſt animæ ſua carne propinquius.

Hæc eſt canum natura, ut cum quibus habent conſuetudinem, ſive illi boni, ſive mali ſint, non ad eos latrent, inſolitorum autem perſonis viſis, etiam innocentibus, irritentur.

Pietas cultus Dei eſt, nec colitur ille niſi amando.

Summa & vera ſapientia eſt in præcepto illo primo: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* *Math. 22.*

Præmiſſus timor in cor noſtrum, pellit inde conſuetudinem malorum operum, & ſervat charitati locum, qua tanquam domina veniente, ut illa inſideat, abſcedit.

Non omnia Deus quæ prædi-

cit, promittit. Prædicit enim illa quæ non ipse facit, quia est omnium præscius futurorum. Prædicit ergo & peccata hominum, quæ potuit præscire non facere. Promittit autem quæ ipse facturus est, nec ea mala, sed bona. Quis enim promittit mala? Quamvis itaque mala inferat, mala, non peccata, sed supplicia, minatur ea potius quàm promittit. Omnia largitur & præscit, sed peccata prædicit, supplicia minatur, beneficia pollicetur.

Perfecta charitas foras mittit timorem, sed illum servilem, quo cum se quisque ab opere malo abstinet, pœna terretur, non justitia delectatur. Hunc charitas foras mittit, quam non delectat iniquitas, etiamsi proponatur impunitas. Non illum quo timet anima, ne amittat ipsam gratiam, qua in illa factum est ut eam non peccare delectet, quo timet ne Deus deserat, etiamsi nullis dolorum cruciatibus puniat. Hic timor ca-

ſtus eſt, non eum charitas ejicit, ſed adſciſcit.

Conjux quæ adulterinum animum gerit, etiamſi timore viri non adulterium perpetrat, tamen quod deeſt operi, ineſt voluntati. Caſta vero aliter timet. Nam & ipſa timet virum, ſed caſte. Denique timet illa ne vir infeſtus adveniat, iſta ne offenſus abſcedat. Non amanti enim præſentia viri moleſta eſt, amanti autem abſentia.

Manducantes pauperem, dedignantur eſſe pauperes.

Perfecta ſaturitas in vita æterna erit.

Debes præ amore veræ vitæ etiam deſolatam te putare in hoc ſæculo, in quantalibet ejus felicitate verſeris. *Ep. 121. Proba vidua.*

Inde neceſſe eſt ut fiat homo beatus, unde fit bonus.

Ille beatus eſt qui omnia quæ vult habet, nec aliquid vult quod non decet.

Ii nos multum juſteque dele-

ctant, à quibus viciſſim ſancte caſteque diligimur.

Neque in tempore utiliter vivitur, niſi ad comparandum meritum quo in æternitate vivatur. Ad illam ergo unam vitam qua cum Deo & de Deo vivitur, cætera quæ utiliter & decenter optantur, ſine dubio referenda ſunt.

Ideo per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, quantumque in hoc deſiderio profecerimus nobis ipſis innoteſcamus, & ad hoc agendum nos ipſos acrius excitemus. Dignior enim ſequetur effectus, quem ferventior præcedit affectus.

Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, ſed eas tamen breviſſimas, & raptim quodam modo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum neceſſaria eſt, per productiores moras evaneſcat atque hebetetur intentio. Ac per hoc

etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est ostendenda si perdurare non potest, ita si perduraverit, non cito esse rumpendam: absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad eum quem precamur diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu.

Nobis verbà necessaria sunt quibus commoneamur, & inspiciamus quid petamus, non quibus Dominum seu docendum seu flectendum esse credamus.

Quisquis id dicit quod ad evangelicam precem pertinere non possit, etiam si non illicite orat, carnaliter orat: quod nescio quemadmodum non dicatur illicite, quandoquidem spiritu renatos

nonnisi spiritaliter decet orare. Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantum existimo, nihil invenies quod non ista dominica contineat & concludat oratio. Unde liberum est aliis atque aliis verbis eadem tamen in orando dicere, sed non debet esse liberum alia dicere.

Pudeat saltem petere quæ non pudet cupere.

Jejunia, & ab aliis voluptatibus sine salutis neglectu carnalis concupiscentiæ refrænatio, maximeque eleemosynæ multum adjuvant orationem.

Adhuc est fortasse quod quæras, cur Apostolus dixerit: *Quid enim oremus sicut oportet nescimus*. Neque enim ullo modo credendum est vel ipsum, vel quibus ista dicebat dominicam nescisse orationem. Cur ergo putamus hoc eum dixisse, quod nec temere potuit, nec mendaciter dicere, nisi quia molestiæ tribulationesque temporales plerumque prosunt vel ad

ſanandum tumorem ſuperbiæ, vel ad probandam exercendamve patientiam, cui probatæ & exercitatæ clarior merces uberiorque ſervatur, vel ad quæcumque flagellanda vel abolenda peccata: tamen nos neſcientes quid iſta proſint, ab omni tribulatione optamus liberari. Ab hac ignorantia nec ſeipſum Apoſtolus oſtendit alienum, niſi forte quid oraret ſicut oportet ſciebat, quando in revelationum magnitudine ne extolleretur, datus eſt illi ſtimulus carnis Angelus Satanæ qui eum colaphizaret: propter quod ter Dominum rogavit, ut eum auferret ab eo, utique ſicut oportet neſciens quid oraret. Denique Dei reſponſum cur non fieret quod vir tantus orabat, & quare fieri non expediret, audivit: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* In his ergo tribulationibus quæ poſſunt & prodeſſe & nocere, quid oremus ſicut oportet neſcimus, & tamen quia dura, quia moleſta, quia

contra ſenſum noſtræ infirmitatis ſunt, univerſali humana voluntate ut à nobis hæc auferantur, oramus. Sed hoc devotionis debemus Domino Deo noſtro, ut ſi ea non abſtulerit, non ideo nos ab eo negligi exiſtimemus, ſed potius pia patientia malorum bona ſperemus ampliora; ſic enim virtus in infirmitate perficitur.

Nonnullis impatientibus Dominus Deus quod petebant conceſſit
Num. 11 iratus: nam legimus Iſraëlitæ quid & quomodo rogaverint & acceperint, ſed expleta concupiſcentia, impatientia eſt graviter caſtigata.
1. Reg. 8 Dedit & Regem petentibus ſecundum cor eorum, ſicut ſcriptum eſt, non ſecundum ſuum. Dedit etiam
Tob 1. quod Diabolus poſtulavit, ut pro-
& 2. bandus ejus famulus tentaretur.
Luc. 2. Exaudivit rogantes & immundos Spiritus, ut in multos ſues legio Dæmonum mitteretur. Hæc ſcripta ſunt ne forte ſe quiſque magnipendat ſi fuerit exauditus, cum aliquid impatienter petit, quod

non

non impetrare plus profit: aut se abjiciat, & de divina erga se miseratione desperet, si non exaudiatur cum forte aliquid petit, quo accipiendo affligatur atrocius, vel à prosperitate corruptus penitus evertatur.

Si aliquid contra quàm oramus acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuisse quod Dei, non quod nostra voluntas habuit, minime dubitare debemus.

Ora ut vidua Christi, nondum habens ejus conspectum, cujus precaris auxilium. Et licet sis ditissima, sicut pauper ora: nondum enim veras futuri seculi divitias habes, ubi nulla damna formides. *Probam alloquitur hic Aug.*

Non qua occasione exeant, sed quales ad se exeant Dominus attendit in servis suis. *Ep. 122.*

Tantum in mente valet integritas castitatis, ut illa inviolata, nec in corpore possit pudicitia violari, cujus membra potuerint superari.

Cneroſior est quàm utilior dili- *Ep. 127*

gentia, ut quamvis magnum deseratur malum, & magnum teneatur bonum, cogi tantum homines non doceri.

Ep. 128. Ibi est à vanitate remota laudatio, ubi etiam vituperatio ab offensione secura est.

Ep. 131. Sæpe officium impertiendi meritum est accipiendi.

Ep. 135. Justitiæ ordo sic se habet, ut debitum prius reddamus, tum deinde cui reddimus, si hoc placet aliquid & donemus.

Ep. 137. Quem (diabolus) non potest devorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut si fieri potest opprobriis hominum & malarum linguarum detractione deficiat, & sic in ejus fauces ruat.

Quantumlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines vivo, nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit
Gen. 7. quàm arca Noë, ubi tamen inter octo homines reprobus unus inventus est: aut melior sit quàm

domus Abrahæ, ubi dictum est: *Ejice ancillam & filium ejus*: aut melior sit quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: *Jacob dilexi, Esaü autem odio habui*: aut melior sit quàm domus ipsius Jacob, ubi lectum patris filius incestavit: aut melior sit quàm domus ipsius David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellavit: aut melior quàm cohabitatio ipsius Domini, in qua undecim boni perfidum & furem Judam toleraverunt: aut melior sit postremo quàm cælum unde Angeli ceciderunt. Gen. 21 Mal. 1. Gen. 49 2. Reg. 11.

Simpliciter fateor charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo servire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores quàm qui in Monasteriis profecerunt, ita non sum expertus pejores quàm qui in Monasteriis ceciderunt.

Sicut ad loca munitiora festina- Ep. 138.

tius migrant, qui ruinam domus vident contritis parietibus imminere: sic corda christiana quanto magis sentiunt mundi hujus ruinam crebrescentibus tribulationibus propinquare, tanto magis debent bona quæ in terra recondere disponebant, in thesaurum cælestem impigra celeritate transferre: ut si aliquis humanus casus acciderit, gaudeat qui de loco ruinoso emigravit: si autem nihil tale fuerit subsecutum, non contristetur qui quandoque moriturus immortali Domino, ad quem venturus est, propria bona commendavit.

144. Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pœnæ timore non peccat: quia etsi non impletur negocium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo innocens inveniatur, qui vult fieri quod vetatur, si substrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est qui vult facere quod non licet fieri, sed ideo non facit, quia impune

non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse justitiam peccata prohibentem atque punientem. Et utique si mallet non esse justitiam, quis dubitaverit quod eam si posset auferret. Ac per hoc quomodo justus est justitiæ talis inimicus, ut eam si potestas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo justitiæ est, qui pœnæ timore non peccat: amicus autem erit, si ejus amore non peccet. Tunc enim vere timebit peccare. Nam qui gehennas metuit, non peccare metuit, sed ardere. Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum sicut gehennas odit. Tantum porro quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit.

Pœna corporis etsi non à voluntate, tamen revocat ab opere peccati. Nec facile quisquam est qui palam committat quod per illicitam & immundam percipiat voluptatem, si cruciatus vindictæ

certum est continuo secuturos. Justitia vero sic amanda est, ut ab ejus operibus etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant, atque inter manus crudelium inimicorum luceant opera nostra coram hominibus, ut quibus placere possunt, glorificent Patrem nostrum qui in cælis est.

Ep. 145. Pia est ista tristitia, &, si dici potest, beata miseria, vitiis alienis tribulari, non implicari; mœrere, non hærere; dolore contrahi, non amore attrahi. Hæc est persecutio quam patiuntur omnes qui volunt in Christo pie vivere, secundum Apostolicam mordacem veramque sententiam. Quid enim hîc magis persequitur vitam bonorum, quàm vita iniquorum; non cum cogit imitari quod displicet, sed cum cogit dolere quod videt. Quoniam coram pio vivens impie, etsi non obligat consentientem, cruciat sentientem.

Ep. 146. Si vestis Israëlitarum per tot annos in eremo sine tritura esse po-

tuit, si morticina pellis calceamentorum tamdiu sine labe duravit, potest utique Deus quorumlibet corporum per quantum voluerit tempus incorruptam protendere qualitatem.

Ego Domini corpus ira in cælo esse credo ut erat in terra quando ascendit in cælum.

Ante omnia peto, ut cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore facilius & lætius & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctorie atque adulatorie agatur, sed nihil apud Deum miserius & tristius, & damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster Imperator jubet. *Ep. 148. Valerio.*

Nulli irascenti ira sua videtur injusta. *Ep. 149.*

Inveteraſcens ira fit odium, dum quaſi juſti doloris admixta dulcedo diutius eam in vaſe detinet, donec totum aceſcat, vaſque corrumpat.

Ep. 151. Mirum eſt quod in imaginibus videmus quæ ſpecula referunt: nam quamvis ingentia ſpecula ſint, non reddunt majores imagines quàm ſunt corpora etiam breviſſima objecta. In parvis autem ſpeculis, ſicut in pupillis oculorum, etſi magna facies ſeſe opponat, breviſſima imago pro modo ſpeculi formatur. Ergo & imagines corporum minui licet, ſi ſpecula minuantur: augeri, ſi augeantur, non licet.

Quid laudatur in corpore? Nihil aliud video quàm pulchritudinem. Quid eſt corporis pulchritudo? Congruentia partium cum quadam coloris ſuavitate.

Animus magis amandus quàm corpus.

Reſiſtendum ſenſibus totis animi viribus.

Quiſquis

Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere quod à Christi unitate disiunctus est, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum. Ep. 152

Communio malorum non maculat aliquem participatione Sacramentorum, sed consensione factorum.

Sine ulla dubitatione minus malum est per Deum falsum jurare veraciter, quàm per Deum verum jurare fallaciter. Quanto enim per quod juratur, magis est sanctum, tanto magis est pœnale perjurium. Ep. 154

Non verum jurare peccatum est, sed pejerare immane peccatum est. A quo nos longe esse voluit, qui omnino ne juremus admonuit.

Si de area vel torculari tollatur aliquid ad sacrificia Dæmoniorum, sciente Christiano, ideo peccat si fieri permittit ubi prohibendi potestas est. Quod si factum non comperit, aut prohibendi potesta-

tem non habuit, utitur mundis reliquis fructibus, unde illa sublata sunt, sicut fontibus utimur de quibus hauriri aquam ad usum sacrificiorum certissime scimus. Eadem est etiam ratio lavacrorum: neque enim spiritum deducere de aëre dubitamus, in quem scimus ire fumum ex aris omnibus & incensis Dæmoniorum.

Cavendum est ne si putaverimus non vescendum olere quod nascitur in horto templi idoli, consequens sit ut existimemus non debuisse Apostolos apud Athenas cibum sumere, quia civitas erat Minervæ ejusque numini consecrata. Hæc & de puteo respondeerim, vel fonte qui in templo est. Plus autem movet revera si aliquid sacrificiorum in fontem vel in puteum projiciatur. Sed eadem ratio est aëris qui omnem eorum fumum recipit, de quo supra diximus. Aut si hoc ideo putatur distare, quia illud sacrificium de quo fumus aëri confundi ur, non fit ipsi

aëri, sed idolo alicui vel Dæmonio: aliquando autem sic mittuntur sacrificia in aquas, ut ipsis aquis sacrificetur: non ideo utique solis hujus luce non utimur, quia ei sacrilegi ubi possunt sacrificare non cessant. Sacrificatur etiam ventis quibus tamen utimur ad tantas nostras commoditates, cum eorumdem sacrificiorum fumum ipsi quodammodo haurire & vorare videantur.

Cum templa, idola, luci, & si quid hujusmodi data potestate evertuntur, quamvis manifestum est, cum id agimus, non ea nos honorare, sed potius detestari: ideo tamen in usus nostros privatos duntaxat & proprios non debemus inde aliquid usurpare, ut appareat nos pietate ista destruere, non avaritia. Cum vero in usus communes non proprios ac privatos, vel in honorem Dei veri convertuntur, hoc de illis fit quod de ipsis hominibus, cum ex sacrilegis & impiis in veram religionem mutantur.

Ep. 155. Necesse est ut aliter quàm oportet humana æstimet, qui divina contemnit; nec hominem recte diligere noverit, quisquis eum non diligit qui hominem fecit.

Ep. 157. Si origo animæ lateat, dum tamen redemptio clareat, periculum non est. Neque enim in Christum credimus ut nascamur, sed ut renascamur quomodocumque nati fuerimus. Hactenus autem dicimus sine periculo latere animæ originem, ut non tamen eam partem Dei esse credamus, sed creaturam: nec de Deo natam, sed ab illo factam atque in ejus genus adoptandam mirabili dignatione gratiæ, non parili dignitate naturæ: nec eam corpus esse, sed spiritum; non creatorem utique, sed creatum: nec ideo veniisse in hoc corpus corruptibile quo gravatur, quod illuc eam vitæ in cælestibus vel in quibuslibet aliis partibus mundi antea male gestæ merita compulerunt.

Sicut in regno mortis nemo sine

Adam, ita in regno vitæ nemo sine Christo.

Aliquid certum de animæ origine nondum in Scripturis Canonicis comperi.

Appellamus Ecclesiam Basilicam qua continetur populus, qui vere appellatur Ecclesia, ut nomine Ecclesiæ, ideſt, populi qui continetur, significemus locum qui continet.

Charitas quæ tanquam nutrix *Ep. 158.*
fovet filios suos, non ordine amandi, sed ordine subeniendi infirmiores fortioribus anteponit, quos tales vult esse, quales jam illi sunt quos non contemnendo, sed de his confidendo præterit.

Qui sententiam, suam quamvis *Ep. 162.*
falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem corrigi parati cum invenerint, ne-

quaquam sunt inter hæreticos deputandi.

Tolerat Aaron multitudinem Idolum exigentem & fabricantem, & adorantem. Tolerat Moyses adversus Deum tot millia murmurantia, & toties offendentia sanctum nomen ejus. Tolerat David Saülem persecutorem suum sceleratis moribus cælestia deferentem, magicis artibus inferna quærentem, occisum vindicat, christum etiam Domini propter sacramentum venerandæ vnctionis appellat. Tolerat Samüel nefandos filios Heli, perversosque filios suos quos populus quia tolerare noluit divina * veritate accusatus, divina severitate correptus est. Tolerat denique ipsum populum superbum contemptorem Dei. Tolerat Esaïas in quos tam vera crimina jaculatur. Tolerat Hieremias à quibus tanta perpetitur. Tolerat Zacharias Pharisæos & Scribas, quales illo tempore fuisse Scriptura testa-

*Authoritate.

tur. Tolerat ipſe Dominus Judam diabolum, furem & venditorem ſuum, ſinit accipere inter innocentes diſcipulos quod fideles noverunt pretium noſtrum. Tolerant Apoſtoli pſeudo-Apoſtolos, & inter ſua quærentes non quæ Ieſu Chriſti. Paulus non ſua quærens ſed quæ Ieſu Chriſti, cum glorioſiſſima tolerantia converſatur. Poſtremo divina voce laudatur ſub Angeli nomine præpoſitus Eccleſiæ, quod cum odiſſet malos, eos tamen tentatos & viventes pro nomine Domini toleravit. Sic enim in Apocalypſi Joannis legitur: *Angelo*, inquit, *Eccleſiæ Epheſi ſcribe: Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua, qui ambulat in medio ſeptem candelabrorum aureorum. Scio opera tua, & laborem & patientiam, & quia non potes ſuſtinere malos, & tentaſti eos qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe & non ſunt, & inveniſti eos mendaces, & patientiam habes, & ſuſtinuiſti eos propter nomen meum,*

& non defeciſti.

Nemo delet de cælo conſtitutionem Dei, nemo delet de terra Eccleſiam Dei: ille totum orbem promiſit, iſta totum orbem replevit, & malos habet & bonos, ſed nec in terris amittit niſi malos, nec in cælum admittit niſi bonos.

Ep.163. (Dominus) traditorem ſuum, qui jam precium ejus acceperat, vſque ad ultimum pacis oſculum inter innocentes ſecum eſſe perpeſſus eſt. Quibus non tacuit eſſe inter illos tanti ſceleris hominem, & tamen primum Sacramentum corporis & ſanguinis ſui nondum illo excluſo communiter omnibus dedit.

Ep.164. Privatam hominum impietatem deteſtamur in ſchiſmate, baptiſmum vero Chriſti ubique veneramur: quia ſi deſertores ſecum Imperatoris ſigna traducant, illis vel damnatione punitis, vel indulgentia correctis, ſalva ſigna recipiuntur, ſi ſalva manſerunt.

Ep.166. Quos corrigere non valemus,

etiamsi necessitas cogit pro salute cæterorum ut Dei Sacramenta nobiscum communicent, peccatis tamen eorum non communicemus, quod non fit nisi consentiendo, & favendo. Sic enim eos in isto mundo, in quo Ecclesia Catholica per omnes gentes diffunditur, quem agrum suum Dominus dicit, tanquam zizania inter triticum, vel in hac unitatis area tanquam paleam permixtam frumento, vel intra retia verbi & sacramenti tanquam malos pisces cum bonis inclusos vsque ad tempus messis, aut ventilationis, aut littoris toleramus, ne propter illos eradicemus & triticum, aut grana nuda ante tempus de area separata non in horreum mittenda purgemus, sed volatilibus colligenda projiciamus, aut diruptis per schismata retibus, dum quasi malos pisces cavemus, in mare pernicioſæ libertatis exeamus. Propter hoc enim his atque alijs similitudinibus Dominus servo-

tet, non iſte, ſed ſuper quem columba deſcendit, ipſe eſt qui baptizat.

Phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari: ſed perſeverat diligentia charitatis phreneticum caſtigare, lethargicum ſtimulare, ambos amare. Ambo offenduntur, ſed ambo diliguntur: ambo moleſtati, quamdiu ægri ſunt, indignantur, ſed ambo ſanati gratulantur.

Paſſio Domini pretium eſt orbis terrarum. Ille totum orbem redemit. *Ep. 171.*

Ille communicat malis, qui conſentit factis malorum, non qui tolerat in agro dominico zizania vſque ad meſſem, vel paleam vſque ad vltimam ventilationem.

Nos te de homine non terremus, Chriſtus te potius terreat. *Ep. 173. Criſpino.*

Si humano jure præſumis firmete poſſidere quod emiſti argento tuo, quanto firmius divino iure poſſidet Chriſtus quod emit ſanguine ſuo?

Non autem ista corporaliter sentiuntur nec vsitato modo intelliguntur in Deo, qui potens est facere, sicut dicit Apostolus, supra quàm petimus & intelligimus. Si autem facere, quanto magis esse? Nam hoc quod spiritus dicitur non secundum id quod refertur ad aliquid, sed secundum id quod aliqua natura significatur, omnis incorporea natura spiritus in scripturis appellatur: unde non tantum Patri & Filio & Spiritui Sancto, sed omni rationali creaturæ & animæ hoc vocabulum congruit. Unde Dominus dicit: *Spiritus est Deus, & ideo qui adorant Deum in spiritu & veritate oportet adorare.* Scriptum est etiam. *Qui facit Angelos suos spiritus.* Scriptum est etiam & de hominibus quibusdam: *Quoniam caro sunt, & spiritus ambulans, & non revertens.* Et Apostolus ait: *Nemo scit quid agatur in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est.* Item scriptum est: *Quid scit spiritus filio-*

Ephes. 4.

Ioan. 4.

Psal. 103.

Psal. 77.

1. *Cor.* 2.

Eccles. 3.

rum hominum si ascendat ipse sursum, & spiritus pecoris si descendat ipse deorsum in terram? Dicitur spiritus in scripturis secundum quandam distinctionem in ipsa una unius hominis anima. Unde

1. *Thes.* 5. Apostolus dicit: *Vt integer Spiritus vester & anima & corpus in diem Domini nostri Iesu Christi*

1. *Cor.* 14. *servetur.* Item in alio loco: *Si oravero lingua, spiritus meus orat, mens autem mea infructuosa est.* Quid ergo est? *Orabo & spiritu, orabo & mente.* Proprio autem modo quodam dicitur & Spiritus Sanctus secundum quod refertur ad Patrem & Filium, quod eorum spiritus sanctus sit. Nam secundum substantiam quoniam semel dictum est: *Spiritus est Deus*, & Pater spiritus est, & Filius & ipse Spiritus Sanctus, nec tamen tres spiritus, sed unus spiritus; sicut non tres Dii, sed unus Deus.

Filium hominis eumdem dicimus quem filium Dei, non tamen propter formam Dei in qua est

æqualis Deo Patri, sed propter acceptam formam servi qua major est Pater. Et quia eundem filium hominis dicimus, propter hoc & Filium Dei crucifixum fatemur, non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate humanitatis: non ex suæ naturæ permixtione, * sed ex nostræ susceptione. *permā-sione.*

Discamus intelligere unitatem Patris & Filij & Spiritus Sancti, ut quod de uno solo Deo dictum fuerit, non continuo prohibeamur de de Filio vel de Spiritu Sancto intelligere, quia Pater quidem non est Filius, & Filius non est Pater, & Spiritus utriusque non est Pater aut Filius, sed tamen & Pater & Filius & Spiritus Sanctus vnus solus est verus Dominus Deus.

Semper gignit Pater, & semper nascitur Filius.

Facile est ut quisque Augustinum vincat, videris utrum veritate an clamore. Non est meum dicere, nisi quia facile est ut quisque Augustinum vincat, quanto magis ut *Pascentium comitem hæreseos Arianæ hic allo-*

quitur S. Aug. viciſſe videatur? Aut & ſi non videatur, viciſſe dicatur facile eſt. Hoc nolo magnum putes, nolo pro magno appetas.

Non bonum hominis eſt hominem vincere, ſed bonum eſt homini ut eum veritas vincat nolentem, quia malum eſt homini ut eum veritas vincat invitum. Nam ipſa vincat neceſſe eſt, ſive negantem, ſive confitentem.

Ep. 178. Non differentis Dei ſpernendum eſt judicium, nonnunquam & in præſenti judex ultor aſſurgit.

Totus habitat Pater in Filio, cujus Patris formam idem Filius non ex parte, ſed implet in pleno.

Qui diſponit arguere, non faciat unde alium nititur accuſare.

Ep. 179. Probæ & Iulianæ. Quis verbis explicet? quis digno præconio proſequatur, quantum incomparabiliter glorioſius atque fructuoſius habeat ex veſtro ſanguine fœminas virgines, quàm viros Conſules mundus?

Ep. 180. Qui clades hoſtiles ideo non fugit cum poſſit effugere, ne deſerat mini-

mìnisterium Christi, sine quo non possunt homines vel fieri vel vivere Christiani, majorem charitatis invenit fructum quàm qui non propter fratres, sed propter seipsum fugiens atque comprehensus non negat Christum, suscepitque martyrium.

Non quisquam est qui dicat Ministros manere oportere, ubi jam non fuerint, quibus necesse sit ministrare.

Violentia non violatur pudicitia, si mente servatur: quoniam nec in carne violatur quando voluntas patientis sua turpiter carne non utitur, sed sine consensione tolerat quod alius operatur.

Quid est absurdius quàm mulierem de humili veste viro superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quàm in nigellis vestibus repugnare? Quia etsi te indumentum Monachæ delectabat, etiam hoc gratius posset marito observato exoratoque sumi, quàm illo inconsulto contem- Ep. 199. Edicta.

ptoque præsumi. Quod si omnino non sineret, quid tuo proposito deperiret? Absit ut hinc displiceres Deo, quod conjuge tuo nondum defuncto, non induereris sicut Anna, sed sicut Susanna. Neque enim & ille qui tecum jam cœperat custodire tam magnum continentiæ bonum, etiamsi conjugale, non viduale voluisset ut acciperes indumentum, ad indecentem quoque te compulisset ornatum. Quo & si aliqua dura conditione cogereris, posses habere in superbo cultu cor humile. Nempe apud Patres Esther illa Regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito Regi alienigenæ non eundem secum colenti Deum tamen subjecta serviebat: quæ cum extremo periculo non suo tantum, sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsa oratione sua dixit, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstrualem: & ita orantem confestim exaudivit, qui

cordis inſpector eam verum dicere ſcivit.

Appetuntur ardentius quæ vetantur. *Ep. 200.*

Incipit homo ſecundum gratiam in interiori homine renovari, ut mente agat quod amat, nec carni conſentiat agenti quod odit, id eſt, ut non omnino non concupiſcat, ſed ut poſt concupiſcentias ſuas non eat.

Cum mortale hoc induerit immortalitatem, tunc non ſolum nulli deſiderio peccati obediemus, ſed nulla erunt deſideria talia quibus non obedire jubeamur.

Non debemus conſuetudinem ſermonis humani inepta loquacitate confundere, & in rebus diſcernendis frequentata vocabula perturbata ſignificatione miſcere, ut eos qui Chriſtiani ſunt, & appellatione uſitatiſſima Chriſtiani vocantur, inuſitato vocabulo affectet vocare Judæos: vel cum ſit ipſe voceturque Chriſtianus, Iſraëlitæ potius nomine delectetur,

& quod in mysterio debet semper intelligere, parcius autem ore proferre, hoc in quotidiana loquendi consuetudine magis eligat frequentare inepta insolentia, & si dici potest, imperita scientia.

Ep.203. Transit honor hujus seculi, transit ambitio. In futuro Christi judicio nec abscidæ gradatæ, nec cathedræ velatæ, neque Sanctimonialium atque cantantium greges adhibebuntur ad defensionem, ubi cœperit accusare conscientia, & conscientiarum arbiter judicare. Quæ hîc honorant, ibi onerant: quæ hîc relevant, ibi gravant. Ista quæ pro tempore propter Ecclesiæ utilitatem honori nostro exhibentur, defendentur forte bona conscientia, defendere autem non poterunt malam.

Ep 204. Donato presbyt. Donat. Neminem existimas cogendum esse ad bonum. Attende quid Apostolus dixerit: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus concupiscit.* *1. Tim. 3* Et tamen tam multi ut Episcopatum suscipiant tenentur inviti,

perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni. Quanto magis vos ab errore pernicioso, in quo nobis inimici estis, & perducendi ad veritatem vel cognoscendam vel eligendam, non solum ut honorem salubriter habeatis, sed etiam ne pessime pereatis? Dicis Deum dedisse liberum arbitrium: Ideo non debere cogi hominem nec ad bonum. Quare ergo illi, de quibus supra dixi, coguntur ad bonum? Attende ergo quod considerare non vis. Ideo voluntas bona misericorditer impenditur, ut mala voluntas hominis dirigatur. Nam quis nesciat nec damnari hominem nisi merito malæ voluntatis, nec liberari nisi bonam habuerit voluntatem. Non tamen ideo qui diliguntur malæ suæ voluntati impune & crudeliter permittendi sunt, sed ubi potestas datur, & à malo prohibendi & ad bonum cogendi. Nam si voluntas mala sem-

per suæ permittenda est libertati, quare Israëlitæ recusantes & murmurantes tam duris flagellis à malo prohibebantur, & ad terram promissionis compellebantur? Si voluntas mala suæ permittenda est libertati, quare Paulus non est permissus uti pessima voluntate, qua persequebatur Ecclesiam, sed prostratus est ut excæcaretur, & excæcatus est ut mutaretur, mutatus ut mitteretur, missus ut qualia fecerat in errore, talia pro veritate pateretur? Si voluntas mala semper suæ permittenda est libertati, quare monetur pater in Scripturis Sanctis filium durum non solum verbis corripere, sed etiam latera ejus tundere, ut ad bonam disciplinam coactus & domitus dirigatur? Si mala voluntas semper suæ permittenda est libertati, quare corripiuntur negligentes Pastores, & dicitur eis: *Errantem ovem non revocastis, perditam non inquisistis?*

Foris ab Ecclesia constitutus &

separatus à compage unitatis & vinculo charitatis æterno supplicio punireris, etiamsi pro Christi nomine vivus incendereris.

Hoc primum cogita quando armaris ad pugnam, quia virtus tua etiam corporalis donum Dei est. Sic enim cogitabis de dono Dei non facere contra Deum. *Ep. Bonifacio Comiti, quæ videtur missa esse cũ Ep. 50.*

Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est contra quem bellum geritur.

Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace. Non enim pax quæritur ut bellum excitetur, sed bellum geritur ut pax acquiratur.

Hostem pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Sicut rebellanti & resistenti violentia redditur, ita victo vel capto misericordia iam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur.

Valde turpe est ut quem non vincit homo, vincat libido: &

obruatur vino qui non vincitur ferro.

Divitiæ sæculares si desunt, non per mala opera quærantur in mundo. Si autem adsunt, per bona opera serventur in cælo. Animum virilem & christianum nec debent, si accedunt, extollere: nec debent frangere, si recedunt.

De Doctrina Christiana. lib. 1. prolog. cap. 3.

Omne verum ab illo est, qui ait: *Ego sum veritas.*

Res aliæ sunt quibus fruendum est, aliæ quibus utendum, aliæ quæ fruuntur & utuntur. Illæ quibus fruendum est, beatos nos faciunt. Istis quibus utendum est, tendentes ad beatitudinem adjuvamur, & quasi adminiculamur ut ad illas quæ nos beatos faciunt, pervenire atque his inhærere possimus. Nos vero qui fruimur & utimur, inter utrasque constituti, si eis quibus utendum est frui voluerimus, impeditur cursus noster, & aliquando etiam deflectitur, ut ab his rebus quibus fruendum est obtinendis vel retardemur, vel etiam

etiam revocemur inferiorum amore præpediti.

Frui, est amore alicui rei inhærere propter seipsam. Vti autem, quod in usum venerit ad id quod amas obtinendum referre, si tamen amandum est. Nam usus illicitus abusus potius vel abusio nominandus est. cap. 4.

Hoc omnes Deum consentiunt esse, quod cæteris rebus omnibus anteponunt. cap. 7.

Sicuti cum loquimur, ut id quod in anima gerimus in audientis animum per aures carneas illabatur, fit sonus verbum quod corde gestamus, & locutio vocatur: nec tamen in eundem sonum cogitatio nostra convertitur, sed apud se manens integra, formam vocis qua se insinuet auribus sine aliqua labe sine mutatione assumit: ita Verbum Dei non commutatum caro tamen factum est, ut habitaret in nobis. cap. 12.

Curatio via est ad sanitatem.

Quemadmodum Medici cum cap. 14.

alligant vulnera, non incompositè sed aptè id faciunt, ut vinculi utilitatem quædam pulcritudo etiam consequatur: sic medicina sapientiæ per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus de quibusdam contrarijs curans, & de quibusdam similibus. Sicut etiam ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quædam contraria, sicut frigidum calido, vel humidum sicco, vel quid aliud hujusmodi. Adhibet etiam quædam similia, sicut linteolum vel rotundo vulneri rotundum, vel oblongum oblongo, ligaturamque ipsam non eandem membris omnibus, sed similem similibus coaptat: sic sapientia Dei hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum, ipsa Medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est, humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur. Nos immortalitate male usi sumus ut morere-

mur, Christus mortalitate bene usus est ut viveremus. Corrupto animo feminæ ingressus est morbus, integro corpore feminæ processit salus. Ad eadem contraria pertinet, quod etiam exemplo virtutum ejus vitia nostra curantur. Jam vero similia quasi ligamenta membris & vulneribus nostris adhibita illa sunt, quod per feminam deceptos per feminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberavit.

Credita Domini à mortuis resurrectio & in cælum ascensio magna spe fulcit fidem nostram. Multum enim ostendit quàm voluntarie pro nobis animam posuerit, qui sic eam habuit in potestate resumere.

Quisquis non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando, quasi nihil illi melius quàm malum esse remaneat, ubi de fructu suæ conversionis infidus est. *cap. 15.*

Sicut animi quædam mors est vitæ prioris morumque relictio *cap. 19.*

quæ fit pœnitendo : sic etiam corporis mors est animationis pristinæ resolutio. Et quomodo animus post pœnitentiam, qua priores mores perditos interemit, reformatur in melius : sic etiam corpus post istam mortem quam vinculo peccati omnes debemus, credendum & sperandum est resurrectionis tempore in melius commutari.

cap. 20. Cujus animus non moritur huic seculo, neque incipit configurari veritati, in graviorem mortem morte corporis trahitur : neque ad communionem cælestis beatitudinis, sed ad luenda supplicia reviviscet.

cap. 22. Magna quædam res est homo factus ad imaginem & similitudinem Dei, non in quantum mortali corpore includitur, sed in quantum bestias rationalis animæ honore præcellit.

Tunc est optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi.

Si te ipsum non propter teipsum debes diligere, sed propter illud ubi dilectionis tuæ rectissimus finis est, non succenseat alius homo, si etiam ipsum propter Deum diligis.

Quisquis recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipse toto corde, tota anima, tota mente diligat Deum.

Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: non per odium resistente spiritu, sed per principatum, quia magis quod diligit vult subditum esse meliori: nec per odium resistente carne, sed per consuetudinis vinculum, quod à parentum etiam propagine inveteratum naturæ inolevit. cap. 24.

Ille juste & sancte vivit qui rerum integer æstimator est. Ipse est autem qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est cap. 27.

diligendum, aut æque diligat quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æque diligendum est.

Omnis peccator in quantum peccator est, non est diligendus. Et omnis homo in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus vero propter seipsum. Et si Deus omni homine amplius diligendus est, amplius quisque debet eum diligere quàm seipsum.

Amplius alius homo diligendus est quàm corpus nostrum: quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, & potest nobiscum alius homo Deo perfrui, quod non potest corpus, quia corpus per animam vivit qua fruimur Deo.

cap. 28. Omnes homines æque diligendi sunt. Sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est qui pro locorum & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte junguntur.

Sicut enim si tibi abundaret aliquid quod dari oporteret ei qui non haberet, nec duobus dari posset, si tibi occurrerent duo, quorum neuter alium vel indigentia vel erga te necessitudine superaret, nihil justius faceres quàm ut sorte eligeres cui dandum esset quod dari utique non posset. Sic in hominibus quibus omnibus consulere nequeas, pro sorte habendum est prout quisque tibi colligatius temporaliter adhærere potuerit.

Velle debemus ut omnes diligant nobiscum Deum, & totum quod vel eos adjuvamus vel adjuvamur ab eis, ad unum illum finem referendum est. Si enim in theatris nequitiæ qui aliquem diligit histrionem, & tanquam magno vel etiam summo bono ejus arte perfruitur, omnes diligit qui eum diligunt secum, non propter illos, sed propter eum quem pariter diligunt: & quanto est in amore ejus ferventior, tanto agit quibus potest modis, vt à pluribus cap. 29.

diligatur, & tanto pluribus cupit eum ostendere, & quem frigidiorem videt, excitat eum quantum potest laudibus illius. Si autem contravenientem invenerit; odit in illo vehementer odium dilecti sui, & quibus modis valet, instat ut auferat: quid nos in societate dilectionis Dei agere convenit, quo perfrui beate vivere est, à quo habent omnes qui eum diligunt, & quod sunt, & quod eum diligunt: de quo nihil metuimus, ne cuiquam possit cognitus displicere, & qui se vult diligi, non ut sibi aliquid, sed ut eis qui diligunt æternum præmium conferatur, hoc est ipse quem diligunt?

cap. 30. Quoniam excellentior ac supra naturam nostram est divina substantia, præceptum quo diligamus Deum, à proximi dilectione distinctum est. Ille enim nobis præbet misericordiam propter suam bonitatem, nos autem nobis invicem propter illius: id est, ille nostri misereatur, ut se perfruamur:

nos vero invicem noſtri miſeremur, ut illo perfruamur.

Nulla res in via tenere nos (debet) quando nec ipſe Dominus, in quantum via noſtra eſſe dignatus eſt, tenere nos voluerit, ſed tranſire: ne rebus temporalibus quamvis ab illo pro ſalute noſtra ſuſceptis & geſtis, inhæreamus infirmiter, ſed per eas potius curramus alacriter, ut ad eum ipſum qui noſtram naturam à temporalibus liberavit, & collocavit ad dexteram Patris, provehi atque pervenire mereamur. *cap. 34.*

Pati melius eſt iniquitatem, quàm facere. *cap. 36.*

Titubavit fides, ſi divinarum Scripturarum vacillat authoritas. Porro titubante fide charitas etiam ipſa langueſcit. Nam ſi à fide quiſque ceciderit, à charitate etiam neceſſe eſt cadat. Non enim poteſt diligere quod eſſe non credit. *cap. 37.*

Inter temporalia atque æterna hoc intereſt, quod temporale ali- *cap. 38.*

quid plus diligitur antequam habeatur, vilescit autem cum advenerit. Non enim satiat animam, cui vera & certa sedes est æternitas. Æternum autem ardentius diligitur adeptum, quàm desideratum. Nulli enim desideranti conceditur plus de illo existimare quàm in se habet, ut ei vilescat cum minus invenerit: sed quantum quisque veniens existimare potuerit, plus perveniens inventurus est.

Homo fide, spe, & charitate subnixus, eáque inconcusse retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt.

cap. 39. In comparatione futuræ vitæ nullius justi & sancti est vita perfecta.

Lib. 2. cap. 1. Signum est res, præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cognitionem venire: sicut vestigio viso transisse animal cujus vestigium est,

cogitamus : & fumo viſo ignem ſubeſſe cognoſcimus: & voce animantis audita , affectionem animi ejus animadvertimus : & tuba ſonante, milites vel progredi vel regredi, & ſi quid aliud pugna poſtulat oportere noverunt. Signorum igitur alia ſunt naturalia, alia data. Naturalia ſunt , quæ ſine voluntate atque vllo appetitu ſignificandi, præter ſe aliquid aliud ex ſe cognoſci faciunt , ſicuti eſt fumus ſignificans ignem. Non enim volens ſignificare id facit, ſed rerum expertarum animadverſione & notatione cognoſcitur ignem ſubeſſe, etiamſi fumus ſolus appareat. Data vero ſigna ſunt , quæ ſibi quæque viventia invicem dant ad demonſtrandos, quantum poſſunt , motus animi ſui, vel ſenſa aut intellecta quælibet. Nec vlla cauſa eſt nobis ſignificandi , niſi ad depromendum & trajiciendum in alterius animum id quod in animo gerit is qui ſignum dat.

cap. 6. Nemo ambigit & per similitudines libentius quæque cognosci, & cum aliqua difficultate quæsita multo gratius inveniri.

Qui prorsus non inveniunt quod quærunt, fame laborant. Qui autem non quærunt, quia in promptu habent, fastidio sæpe marcescunt: In utroque autem langor cavendus est. Magnifice igitur & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas Sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret: nihil autem fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperiatur.

cap. 12. Difficile est ita diversos à se interpretes fieri, ut non se aliqua vicinitate contingant.

cap. 18. Quisquis bonus verusque Christianus est, Domini sui esse intelligat ubicumque invenerit veritatem.

cap. 28. Quicquid de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur Historia, plurimum nos

adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.

Ipsum falsum definitur, cum dicimus falsum esse significationem rei non ita se habentis ut significatur, sive aliquo alio modo. Quæ definitio vera est, quamvis falsum verum esse non possit. Possumus etiam dividere, dicentes duo esse genera falsi. Unum eorum quæ omnino esse non possunt, alterum eorum quæ non sunt, quamvis esse possint. Nam qui dicit septem & tria undecim esse, id dicit quod omnino esse non potest: qui vero dicit calendis, verbi gratia, Januariis pluisse, tametsi factum non sit, id tamen dicit quod fieri potuerit. Definitio igitur & divisio falsorum potest esse verissima, quamvis falsa ipsa utique vera non sint. cap. 35.

Iste omnino modus est, ut quicquid in sermone divino neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem proprie referri potest, figuratum esse cognoscas. Lib. 3. cap. 10.

Quoniam proclive est humanum genus non ex momentis ipsius libidinis, sed potius suæ consuetudinis æstimare peccata, fit plerumque ut quisque hominum ea tantum culpanda arbitretur, quæ suæ regionis & temporis homines vituperare atque damnare consueverunt, & ea tantum probanda atque laudanda quæ consuetudo eorum cum quibus vivit, admittit.

Nemo potest ex eo quod non habet prodesse alteri.

Quanto magis regnum cupiditatis destruitur, tanto charitatis augetur.

cap. 12. Fieri potest ut sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis pretiosissimo cibo sapiens utatur, insipiens autem fœdissima gulæ flamma in vilissimum ardescat. Et sanius quisque maluerit more Domini pisce vesci, quàm lenticula more Esaü nepotis Abraham, aut hordeo more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt

pleræque beſtiæ, quia vilioribus aluntur cibis. Nam in omnibus hujuſcemodi rebus non ex earum rerum natura quibus utimur, ſed ex cauſa utendi & modo appetendi, vel probandum eſt, vel improbandum quod facimus.

Non eſt in carendo difficultas, *cap.* 18. niſi cum eſt in habendo cupiditas.

Nulla fere pagina eſt ſanctorum *cap.* 27. Librorum, in qua non ſonet quod Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.

Quid in divinis eloquiis largius *cap.* 27. & uberius potuit divinitus provideri, quàm ut eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minus divina conteſtantia faciant approbari.

Cavendum eſt ne fugiant ex ani- *Lib.* 4. mo quæ dicenda ſunt, dum attenditur ut arte dicantur. *cap.* 3.

Sapienter dicit homo tanto ma- *cap.* 5. gis vel minus, quanto in Scripturis Sanctis magis minuſve profecit. Non dico in eis multum legendis memoriæque mandandis, ſed bene

Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. cap. 11.

Quid prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est.

Propter fastidia plurimorum etiam ipsa sine quibus vivi non potest alimenta condienda sunt.

Plerumque delectant etiam falsa patefacta, atque convicta: neque enim delectant quia falsa sunt, sed quia falsa esse verum est. Delectat & dictio, qua hoc verum esse monstratum. cap. 12.

Oportet eloquentem Ecclesiasticum, quando suadet aliquid quod agendum est, non solum docere ut instruat, & delectare ut teneat, verum etiam flectere ut vincat. cap. 13.

Sicut corporis medicamenta quę hominibus ab hominibus adhibentur, nonnisi eis prosunt quibus Deus operatur salutem, qui & sine cap. 16.

illis mederi potest, cum sine ipso illa non possint, & tamen adhibentur: & si hoc officiose fiat, inter opera misericordiæ & beneficentiæ deputatur: ita & adjumenta doctrinæ tunc prosunt animæ, adhibita per hominem, cum Deus operatur ut prosint, qui potuit Evangelium dare homini etiam non ab hominibus, neque per hominem.

cap. 20. Cavendum est ne divinis gravibusque sententiis, dum additur numerus, pondus detrahatur.

Si aurato gemmatoque ferro vir fortis armetur, intentissimus pugnæ, agit quidem illis armis quod
preciosa agit, non quia * speciosa, sed quia arma sunt.

cap. 27. Quoniam boni fideles non quemlibet hominum, sed ipsum Deum obedienter audiunt qui ait:
Mat. 23. *Quæ dicunt facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Dicunt enim & non faciunt:* ideo audiuntur utiliter qui etiam utiliter non agunt: sua enim quærere student, sed sua do-

cere non audent, de loco scilicet superioreSedis Ecclesiasticæ, quem sana doctrina constituit.

Verbis contendere est, non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. cap. 28.

Sicut cujus pulchrum corpus & deformis est animus, magis dolendus est, quàm si deforme haberet & corpus: ita qui eloquenter ea quæ falsa sunt dicunt, magis miserandi sunt, quàm si talia deformiter dicerent.

Si Regina oravit Esther pro suæ gentis temporaria salute locutura apud Regem, ut in ejus Deus congruum sermonem daret: quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat qui pro æterna hominum salute in verbo & doctrina laborat? cap. 30.

Fides officium à nobis exigit & cordis & linguæ. De fide & Symbolo lib. cap. 1.

Sicut in illo monumento nullus alius mortuus sepultus est, nec ante nec postea: sic in illo utero nec cap. 5.

ante nec postea quicquam mortale conceptum est.

Enchir. ad Laurent. cap. 1. Sicut nemo à seipso esse potest, ita etiam nemo à seipso sapiens esse potest, sed ab illo illustrante *Eccles. 1.* de quo scriptum est: *Omnis sapientia à Deo.*

cap. 4. Hæc sunt defendenda ratione quæ vel à sensibus corporis, vel ab intelligentia mentis inventa.

cap. 8. Est fides & malarum rerum & bonarum, quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bona, non mala.

Nec amor sine spe est, nec sine amore spes, neque utrumque sine fide.

cap. 10. Illud quod malum dicitur bene ornatum & loco suo positum eminentius commendat bona, ut magis placeant & laudabiliora sint dum comparantur malis.

cap. 11. Quid est aliud quod malum dicitur, nisi privatio boni? Nam sicut corporibus animaliũ nihil est aliud morbis & vulneribus affici, quàm sanitate privari: neque enim id

agitur, cum adhibetur curatio, ut mala illa quæ inerant, ideſt, morbi ac vulnera recedant hinc & alibi ſint, ſed utique ut non ſint. Non enim ulla ſubſtantia, ſed carnalis ſubſtantiæ vitium eſt vulnus aut morbus; cum caro ſit ipſa ſubſtantea, profecto aliquod bonum eſt, cui accidunt iſta mala, id eſt, privationes ejus boni quod dicitur ſanitas: ita etiam & animorum quæcumque ſunt vitia naturalia, ſunt privationes bonorum. Quæ cum ſanantur, non aliquo transferuntur, ſed etiam quæ ibi erant, & nuſquam erunt, quando in illa ſanitate non erunt.

Omnis natura, etiamſi vitioſa eſt, inquantum natura eſt, bona eſt: inquantum vitioſa eſt, mala eſt. *cap.* 14.

Cum bona & mala nullus ambigat eſſe contraria, non ſolum ſimul eſſe poſſunt, ſed etiam mala omnino ſine bonis, & niſi in bonis eſſe non poſſunt, quamvis bona ſine malis eſſe poſſunt: Poteſt

enim homo vel Angelus non esse injustus: injustus autem non potest esse nisi homo vel Angelus, & bonum quod homo: bonum quod Angelus: malum quod injustus. Et hæc duo contraria ita simul sunt, ut si bonum non esset, in quo malum esset, prorsus nec malum esse potuisset: quia non modo ubi consisteret, sed unde oriretur corruptio non haberet, nisi esset quod corrumperetur: quod nisi bonum esset, nec corrumperetur: quoniam nihil est aliud corruptio, quàm boni exterminatio.

Ex bonis mala orta sunt, & nisi in aliquibus bonis non sunt, nec erat aliàs unde oriretur ulla mali natura: nam si esset, inquantum natura esset, profecto bona esset: & aut incorruptibilis natura magnum esset bonum, aut etiam natura corruptibilis nullo modo esset, nisi aliquod bonum, quod bonum corrumpendo posset ei nocere corruptio.

cap. 15. Ex bona hominis natura orirt

voluntas & bona poteſt & mala. Nec fuit prorſus unde primitus oriretur voluntas mala niſi ex Angeli & hominis natura bona.

Sunt quædam quæ neſcire quàm ſcire ſit melius. cap. 17.

Nobis ipſis accidit ut in quodam bivio falleremur, & non iremus per eum locum, vbi opperiens tranſitum noſtrum Donatiſtarum manus armata ſubſederat: atque ita factum eſt, ut eo quo tendebamus per devium circuitum veniremus, cognitiſque inſidiis illorum, nos gratularemur erraſſe, atque inde gratias ageremus Deo.

Nihil (eſt) aliud errare quàm verum putare quod falſum eſt, falſumque quod verum eſt: vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo, ſive falſum, ſive ſit verum.

Hîc homines fallunt atque falluntur, miſerioreſque ſunt cum mentiendo fallunt, quàm cùm mentientibus credendo falluntur.

Mihi videtur peccatum eſſe qui- cap. 18.

dem omne mendacium, ſed multum intereſſe quo animo & quibus de rebus quiſque mentiatur. Non enim ſic peccat ille qui conſulendi, quomodo ille qui nocendi voluntate mentitur.

Nemo ſane mentiens judicandus eſt qui dicit falſum quod putat verum: quoniam quantum in ipſo eſt, non fallit ipſe, ſed fallitur. Non itaque mendacij, ſed aliquando temeritatis arguendus eſt, qui falſa incautius credita pro veris habet.

Quantum in ipſo eſt, mentitur ille qui dicit verum quod putat falſum: quantum enim ad animum ejus attinet, quia non quod ſentit hoc dicit, non verum dicit, quamvis verum inveniatur eſſe quod dicit: nec ullo modo liber eſt à mendacio, qui ore neſciens verum loquitur, ſciens autem voluntate mentitur.

Non conſideratis rebus ipſis de quibus aliquid dicitur, ſed ſola intentione dicentis, melior eſt qui neſciens

nescíens falsum dicit, quoniam id verum putat, quàm qui mentiendi animum sciens gerit, nescíens verum esse quod dicit. Ille namque aliud non habet in animo, aliud in verbo: huic vero qualecumque per seipsum sit quod ab eo dicitur, aliud tamen clausum in pectore, aliud in lingua promptum est: quod malum est proprium mentientis.

In quibusdam rebus magno, in quibusdam parvo, in quibusdam nullo malo, in quibusdam etiam nonnullo bono fallimur. Magno malo fallitur homo, cum hoc non credit quod ad vitam ducit æternam: vel hoc credit quod ad mortem ducit æternam. *cap. 19.*

Ipse per seipsum error aut magnum in re magna, aut parvum in re parca, tamen semper est malum.

Omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia homo homo non solum quando scit ipse quid verum sit, sed etiam si quando errat & fallitur sicut homo hoc *cap. 22.*

debet loqui quod animo gerit; sive illud verum sit, sive putetur & non sit.

Utique verba propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas proferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt peccatum est. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo: possumus enim & furando aliquando alicui prodesse, si pauper cui clam datur sentit commodum, & dives cui clam tollitur, non sentit incommodum: nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum.

cap. 27. Ad iram Dei pertinet justam, quicquid cæca & indomita concupiscentia faciunt libenter mali, & quicquid manifestis opertisque pœnis patiuntur inviti.

Melius (Deus) judicavit de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.

Non sufficit voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei. Non sufficit sola misericordia Dei, si non sit etiam voluntas hominis. cap. 32.

Præcedit bona voluntas hominis multa Dei dona, sed non omnia: quæ autem non præcedit ipsa, in eis est & ipsa.

(Misericordia Dei) nolentem prævenit ut velit, volentem subsequitur ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris utique nolentibus pie vivere, nisi ut Deus operetur ut velint? Item cur admonemur petere ut accipiamus, nisi ut ab illo fiat quod volumus à quo factum est ut velimus?

Cum Deus irasci dicitur, non ejus significatur perturbatio qualis est in animo irascentis hominis: lex ex humanis motibus translato vocabulo vindicta ejus quæ nonnisi justa est, iræ nomen accepit. cap. 33.

Spiritus Sanctus Dei donum est, quod quidem & ipsum est æquale donanti. cap. 37.

cap. 39. Non concedendum est, quicquid de aliqua re nascitur, continuo ejusdem rei filium nuncupandum. Vt enim omittam alia, aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum, vel lumbricum, quorum nihil est filius

cap. 41. In veteri Lege peccata vocabantur sacrificia pro peccatis.

cap. 42. A parvulo recens nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à baptismo: ita nullus est qui non peccato moriatur in baptismo: sed parvuli tantum originali, majores autem etiam ijs omnibus moriuntur peccatis quæcumque male vivendo addiderunt ad illud quod nascendo traxerunt.

cap. 46. Ideo quisque renascitur, ut solvatur in eo quicquid peccati est cum quo nascitur.

Non ob aliud est instituta regeneratio, nisi quia vitiosa est generatio.

Quicquid gestum est in cruce

Christi, in sepultura, in resurrectione tertio die, in ascensione in cœlum, in sede ad dexteram Patris: ita gestum est, ut his rebus non mystice tantum dictis, sed etiam gestis configuraretur vita christiana quæ hîc geritur.

Multa mala videntur hîc ignosci, & nullis supplicijs vindicari, sed eorum pœnæ reservantur in posterum. *cap. 66.*

De quotidianis brevibus leviusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata. *cap. 70.*

Ipsa eleemosyna est, veniam petenti homini ignoscere. *cap. 71.*

Non solum qui dat esurienti cibum, sitienti potum, nudo vestimentum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægro vel incluso visitationem, captiuo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, tristi consolationem, non sano * medicinam, *cap. 72.* *Medelam.*

erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti: verum etiam & qui dat veniam peccanti, eleemosynam dat: & qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coërcet aliqua disciplina, & tamen peccatum ejus quo ab illo læsus est, aut offensus, dimittit ex corde, vel orat ut ei dimittatur, non solum in eo quod dimittit, atque orat, verum etiam in eo quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemosynam dat, quia misericordiam præstat. Multa enim bona præstantur invitis, quando eorum consulitur utilitati, non voluntati: quia ipsi sibi inveniuntur esse inimici, amici vero eorum potius illi quos inimicos putant.

cap. 73. Multa sunt genera eleemosynarum, quæ cum facimus adjuvamur ut dimittantur nobis nostra peccata. Sed ea nihil est majus, qua ex corde dimittimus, quod in nos quisque peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse bene-

volum ſive etiam beneficum, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multo grandius & magnificentiſſimæ bonitatis eſt, ut tuum quoque inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & ſi poteſt facit, tu bonum ſemper velis, faciaſque cum poſſis.

Qui vult eleemoſynam ordinate dare, à ſeipſo debet incipere, & eam ſibi primum dare. Eſt enim eleemoſyna opus miſericordiæ, veriſſiméque dictum eſt: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* cap. 76. Eccle 30

Propter hoc renaſcimur, ut Deo placeamus, cui merito diſplicet quod naſcendo contraximus.

Quæ ſint levia, & quæ gravia peccata, non humano ſed divino penſanda ſunt judicio. cap. 78.

Peccata quamvis magna & horrenda cum in conſuetudinem venerint, aut parva aut nulla eſſe creduntur: uſqueadeo ut non ſolum non occultanda, verum etiam jam prædicanda ac diffamanda videantur. cap. 80.

Duabus ex causis peccamus, aut nondum videndo quid facere debeamus, aut non faciendo quod debere fieri jam videmus. Quorum duorum illud ignorantiæ malum est, hoc infirmitatis.

cap. 91. Resurgent Sanctorum corpora sine ullo vitio, sine vlla deformitate, sine vlla corruptione, onere, difficultate. In quibus tanta facilitas resurgendi, quanta felicitas erit. Propter quod & spiritalia dicta sunt, cum proculdubio corpora sint futura, non spiritus. Sed sicut nunc corpus animale dicitur, quod tamen corpus non anima est: ita tunc spiritale corpus erit, corpus tamen, non spiritus erit.

cap. 96. Nec dubitandum est Deum facere bene etiam sinendo fieri quæcumque fiunt male. Non enim hoc nisi justo judicio sinit. Et profecto bonum est omne quod justum est. Quamvis ergo ea quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen ut non solum bona, sed etiam sint & mala,

bonum est. Nam nisi esset hoc bonum ut essent & mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. Cui proculdubio quàm facile est quod vult facere, tam facile est quod non vult esse, non sinere.

Aliquando bona voluntate homo vult aliquid quod Deus non vult, etiam ipse bona multo amplius multóque certius voluntate. Nam illius mala voluntas esse non potest. Tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, ut hoc velit homo voluntate mala quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori patrem, velit hoc etiam Deus. Nempe ille vult quod non vult Deus, iste vero id vult quod vult & Deus: & tamen bonæ voluntati Dei pietas illius potius consonat, quamvis aliud volentis, quàm hujus idem volentis impietas. *cap. 101.*

Deus quasdam voluntates suas utique bonas implet per malorum

hominum voluntates malas. Sicut per Judæos malevolos bona voluntate Patris Christus pro nobis occisus est.

cap. 109. Neque negandum est defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynæ in Ecclesia fiunt. Sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent meruerunt. Est enim quidam vivendi modus nec tam bonus ut non requirat ista post mortem, nec tam malus ut ei non prosint ista post mortem. Est vero talis in bono, ut ista non requirat; & est rursus talis in malo, ut nec hic valeat, cum hæc vita transierit, adjuvari. Quo circa hîc omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam relevari quispiam vel gravari. Nemo autem se speret quod hîc neglexerit, cum obierit, apud Deum promereri.

cap. 110. Cum sacrificia sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum

pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt: non pro valde malis, propitiationes sunt: pro valde malis etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, adhoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio.

Cum quæritur, utrum quisque sit homo bonus, non quæritur quid credat, aut speret: sed quid amet. Nam qui recte amat, procul dubio recte credit & sperat: qui vero non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera quæ credit: inaniter sperat, etiamsi ad veram felicitatem doceatur pertinere quæ sperat, nisi & hoc credat, ac speret quod sibi petenti donari possit ut amet. Quamvis enim sperare sine amore non possit, fieri tamen potest, ut id non amet sine quo ad id quod sperat non potest pervenire. Tanquam si speret vitam æternam, *cap.* 117.

quamvis non habeat, & non amet justitiam, sine qua nemo ad illam pervenit.

Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Dei charitas.

De Trinitate lib. 1. cap. 1. Nulla omnino res est; quæ seipsam gignet ut sit.

Sancta Scriptura parvulis congruens, nullius generis rerum verba vitavit, ex quibus quasi gradatim ad divina atque sublimia noster intellectus velut nutritus assurgeret.

cap. 3. Quisquis cum legit, dicit: Hoc non bene dictum est, quoniam non intelligo: locutionem meam reprehendat, non fidem: & forte vere potuit dici planius, verumtamen nullus hominum ita locutus est, ut in omnibus ab omnibus intelligeretur.

Vtile est plures (libros) à pluribus fieri diverso stylo, non diversa fide, etiam de quæstionibus eisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.

Arbitror sane nonnullos tardiores, in quibusdam locis librorum meorum opinaturos me sensisse quod non sensi, aut non sensisse quod sensi. Quorum errorem mihi tribui non debere quis nesciat, si velut me sequentes neque apprehendentes, deviaverint in aliquam falsitatem, dum cogor per quædam densa & opaca viam carpere: quandoquidem nec ipsis sanctis divinorum librorum authoritatibus vllo modo quisquam recte tribuerit tam multos & varios errores hæreticorum, cum omnes ex eisdem Scripturis falsas atque fallaces opiniones suas conentur defendere.

Admonet me plane ac mihi jubet suavissimo imperio lex Christi, hoc est charitas, ut cum aliquid falsi in libris meis me sensisse homines putant quod ego non sensi, atque idipsum falsum alteri displicet, alteri placet, malim me reprehendi à reprehensore falsitatis, quàm ab ejus laudatore lau-

dari. Ab illo enim quamvis ego non recte qui hoc non senserim, error tamen ipse recte vituperatur. Ab hoc autem nec ego recte laudor, à quo existimor id sensisse quod vituperat veritas, nec ipsa sententia quam vituperat veritas.

cap. 6. Omnis substantia quæ Deus non est, creatura est: & quæ creatura non est, Deus est.

cap. 7. Est Dei filius Deo Patri natura æqualis, habitu minor: in forma enim servi, quam accepit minor est Patre: in forma autem Dei in qua erat etiam antequam hanc accepisset, æqualis est Patri. In forma Dei Verbum per quod facta sunt omnia: in forma autem servi, factus ex muliere, factus sub lege, ut eos qui sub lege erant, redimeret. Proinde in forma Dei fecit hominem, in forma servi factus est homo. Nam si Pater tantum sine filio fecisset hominem, non scriptum esset: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* *Genes. 1.* Ergo quia forma Dei accepit for-

mam ſervi, utrumque Deus, & utrumque homo. Sed utrumque Deus propter accipientem Deum, utrumque autem homo propter accipientem hominem. Neque enim illa ſuſceptione alterum eorum in alterum converſum atque mutatum eſt: nec divinitas quippe in creaturam mutata eſt, ut deſiſteret eſſe divinitas; nec creatura in divinitatem, ut deſineret eſſe creatura.

Boni operis tranſituri merces eſt requies permanſura. *cap. 10.*

Ex hoc rogat (Chriſtus) quo minor eſt Patre: quo vero æqualis eſt, exaudit cum Patre.

Secundum formam Dei æqualis eſt Patri Filius: ſecundum autem formam ſervi minor eſt Patre: quia ipſe dixit, *Pater major me eſt.* Minor eſt ſeipſo, quia de illo dictum eſt: *Semetipſum exinanivit formam ſervi accipiens.* Minor eſt Spiritu Sancto, quia ipſe ait: *Qui dixerit blaſphemiam in filium hominis, remittetur ei: qui autem di-* *cap. 11.* *Ioan. 14.* *Philip. 2.* *Mat. 12.*

xerit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei. Et in ipso virtutes operatus est, dicens: *Si ergo in spiritu Dei ejicio dæmonia, certe supervenit super vos regnum Dei.*

Luc. 4. cap. 13.

Ita est dictum Joan. 5. *Pater non judicat quemquam; sed omne judicium dedit Filio:* ac si diceretur, Patrem nemo videbit in judicio vivorum & mortuorum, sed omnes Filium: quia & filius hominis est, ut possit & ab impiis videri, cum & illi videbunt in quem pupugerunt.

(Visio Dei) sola est summum bonum nostrum, cujus adipiscendi causa præcipimur agere quicquid recte agimus.

Tanto fortius convincuntur hæretici, quanto plures exitus patent ad eorum laqueos evitandos.

Lib. 2. Præm.

Duo sunt quæ in errore hominum difficillime tolerantur, præsumptio priusquam veritas pateat: & cum jam patuerit, præsumptæ defensio falsitatis.

Gratanter suscipit osculum columbinum

lumbinum pulcherrima & modeſtiſſima charitas: dentem autem caninum, vel evitat cautiſſima humilitas, vel retundit ſolidiſſima veritas.

Nullus reprehenſor formidandus eſt amatori veritatis: etenim aut inimicus reprehenſurus eſt, aut amicus. Si ergo inimicus inſultat, ferendus eſt: amicus autem ſi errat docendus, ſi docet audiendus. Laudator vero & errans confirmat errorem, & adulans illicit in errorem.

Omnis filius de patre eſt quod eſt, & patri filius eſt. Nullus autem pater de filio eſt quod eſt, ſed filio pater eſt. *cap. 1.*

Ordo temporum in æterna Dei ſapientia ſine tempore eſt. *cap. 3.*

Sicut lectorem meum nolo mihi eſſe deditum, ita correctorem nolo ſibi. Ille me non amet amplius quàm catholicam fidem. Iſte ſe non amet amplius quàm catholicam veritatem. Sicut illi dico: Noli meis litteris quaſi Scripturis Ca-

nonicis inſervire, ſed in illis & quod nō credebas, cum inveneris, incunctanter crede; in iſtis autem quod certum non habebas niſi certum intellexeris, noli firmiter retinere. Ita illi dico: Noli meas litteras ex tua opinione vel contentione, ſed ex divina lectione vel inconcuſſa ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis, exiſtendo non eſt meum, at intelligendo & amando & tuum ſit & meum. Si quid falſi conviceris, errando fuerit meum, ſed jam cavendo nec tuum ſit nec meum.

cap. 4. Nihil fit viſibiliter & ſenſibiliter quod non de interiore inviſibili atque intelligibili aula ſummi Imperatoris aut jubeatur aut permittatur, ſecundum ineffabilem juſtitiam præmiorum atque pœnarum, gratiarum & retributionum in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſaque republica.

cap. 8. Iniqui (Angeli) malitia voluntatem habent injuſtam, poteſtatem autem non niſi juſte accipiunt, ſive

ad pœnam ſuam, ſive ad aliorum vel pœnam malorum, vel laudem bonorum.

Extat authoritas divinarum Scripturarum, unde mens noſtra deviare non debet, nec relicto ſolidamento divini eloquij, per ſuſpicionum ſuarum abrupta præcipitari, ubi nec ſenſus corporis regit, nec perſpicua ratio veritatis elucet. *cap. 11.*

Scientiam terreſtrium cæleſtiumque rerum magni æſtimare ſolet genus humanum, in quo profecto meliores ſunt qui huic ſcientiæ præponunt noſſe ſemetipſos: laudabiliorque eſt animus cui nota eſt vel infirmitas ſua, quàm qui ea non reſpecta vias ſiderum ſcrutatur etiam cogniturus, aut qui jam cognitas tenet, ignorans ipſe qua via ingrediatur ad ſalutem ac firmitatem ſuam. *Lib. 4. Proœm.*

Contra rationem nemo ſobrius, contra Scripturas nemo chriſtianus, contra Eccleſiam nemo pacificus ſenſerit. *cap. 6.*

cap. 14. Quis tam justus & sanctus Sacerdos, quàm unicus Filius Dei, qui non opus haberet per sacrificium sua purgare peccata, nec orinaliâ, nec ex humana vita quæ adduntur? Et quid tam congruenter ab hominibus sumeretur quod pro eis offerretur, quàm humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi quàm caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quàm sine ulla contagione mortalis concupiscentiæ caro nata in utero & ex utero virginali? Et quid tam grate offerri & suscipi posset quàm caro sacrificij nostri, corpus effectum Sacerdotis nostri, ut, quoniam quatuor considerantur in omni sacrificio, cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipse unus verusque mediator per sacrificium pacis reconcilians nos Deo, unum cum illo maneret cui offerebat, unum in se faceret pro quibus offerebat, unus ipse esset qui offerebat & quod offerebat.

Sanitas à morbo plurimum distat, sed Medici curatio nisi morbo congruat, non perducit ad sanitatem. *cap. 18.*

Quo intellectu Deum capit homo, qui ipsum intellectum suum, quo eum vult capere, nondum capit? *Lib. 5. cap. 1.*

Humano animo non hoc est esse, quod est fortem esse, aut prudentem, aut justum, aut temperatum. Potest enim esse animus, & nullam istarum habere virtutum. Deo autem hoc est esse quod est fortem esse, aut justum esse, aut sapientem esse; & si quid de illa simplici multiplicitate vel multiplici simplicitate dixeris quo substantia ejus significetur. *Lib. 6. cap. 4.*

Quærendum bonum animæ, non cui supervolitet judicando, sed cui hæreat amando. *Lib. 8. cap. 3.*

Nulla essent mutabilia bona, nisi esset incommutabile bonum.

Pudeat cum alia non amentur, nisi quia bona sunt, eis inhærendo non amare bonum ipsum, unde bona sunt.

Non minui vel augeri bonum poteſt, niſi quod ex alio bono bonum eſt.

Ad hoc ſe animus convertit ut bonus ſit, à quo habet ut animus ſit.

Tunc voluntas naturæ congruit, ut perficiatur in bono animus, * cũ illud bonum diligitur converſione voluntatis, unde eſt & illud quod non amittitur nec averſione voluntatis: avertendo enim ſe à ſummo bono, amittit animus ut ſit bonus, non autem amittit ut ſit animus.

cum ad illud bonum dirigitur.

Hoc amittit voluntas, quod voluntas adipiſcitur.

cap. 5. Hoc nobis prodeſt credere, & firmum atque inconcuſſum corde retinere, ſcilicet humilitatem qua natus eſt Deus ex femina, & à mortalibus per tantas contumelias perductus ad mortem, ſummum eſſe medicamentum quo ſuperbiæ noſtræ ſanaretur tumor, & altum ſacramentum quo peccati vinculum ſanaretur.

Est quædam pulchritudo animi justitia, qua pulchri sunt homines, plerique etiam qui corpore distorti atque difformes sunt. cap. 6.

Qui amat homines, aut quia justi sunt, aut ut justi sint amare debet: sic enim & semetipsum amare debet, aut quia justus est, aut ut justus sit.

Qui diligit Deum, consequens est ut faciat quod præcepit Deus, & intantum diligit, inquantum facit: consequens ergo est ut & proximum diligat, quia hoc præcepit Deus. cap. 7.

Non sanctus quisquam potestate sua gaudet, sed ejus à quo habet posse quicquid congruenter potest.

Amplectere dilectionem Deum, & dilectione amplectere Deum.

Verbum indicat aliquid, indicat etiam seipsum; sed non se verbum indicat, nisi se aliquid indicare indicet. cap. 8.

Rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest. Lib. 10. cap. 1.

Eis doctrinis ſtudetur vehementius, quæ capi poſſe non deſperantur. Nam cujus rei adipiſcendæ ſpem quiſque non gerit, aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis quàm pulchra ſit videat.

Omnis amor ſtudentis animi, id eſt, volentis ſcire quod neſcit, non eſt amor ejus rei quam neſcit, ſed ejus quam ſcit, propter quam vult ſcire quod neſcit: aut ſi tam curioſus eſt, ut non propter cauſam aliam notam, ſed ſolo amore rapiatur incognita ſciendi, diſcernendus quidem eſt à ſtudioſi nomine iſte curioſus, ſed nec ipſe amat incognita, imo congruentius dicitur, odit incognita, quæ nulla eſſe vult, dum vult omnia eſſe cognita.

Illud fieri poteſt ut amet quiſque ſcire incognita: ut autem amet incognita, non poteſt.

cap. 10. Nec eſt alia vita hominum vitioſa atque culpabilis, quàm male utens & male fruens.

cap. 11. Cum de cujuſque doctrina quæritur,

ritur, non quanta firmitate ac facilitate meminerit, vel quanto acumine intelligat; sed quid meminerit, & quid intelligat quæritur.

Tunc laudandus est animus vehementer amans, cum id quod amat vehementer, amandum est.

Quod omni modo & omni ex parte obliti fuerimus, nec reminiscendi voluntas oritur, quoniam quicquid recordari volumus, recordati jam sumus in memoria nostra esse vel fuisse. Verbi gratia, si recordari volo quid heri cœnaverim, aut recordatus jam sum cœnasse me: aut si & hoc nondum, certe circa ipsum tempus aliquid recordatus sum, si nihil aliud, ipsum saltem hesternum diem, & ejus eam partem qua cœnari solet, & quid sit cœnare. *Lib. 11. cap. 7.*

Deus non ad tempus videt, nec aliquid novi fit ex ejus visione atque scientia, cum aliquid temporaliter ac transitorie geritur, sicut inde afficiuntur sensus vel carnales animalium & hominum, vel *Lib. 12. cap. 7.*

etiam cælestes Angelorum.

cap.12. Cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter quæ statim ut attigerunt animum respui debuerunt, negandum non est esse peccatum; sed longe minus quàm & si opere statuatur implendum.

cap. 14. Habet & scientia modum suum bonum, si quod in ea inflat, vel inflare assolet, æternorum charitate vincatur.

Lib.13. cap.6. Beatus non est nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil vult male.

cap.7. Beatus nolens nemo fit.

cap.13. Potentia sequi debet justitiam, non præire.

Cum beatum faciunt duæ res bene velle, & posse quod velis, non debet esse illa perversitas, ut ex duabus rebus quæ faciunt beatum, posse quod velit homo eligat, & velle quod oportet negligat, cum prius debeat habere voluntatem bonam, magnam vero postea potestatem. Bona vero voluntas

purganda est à vitiis, à quibus si vincitur homo, ad hoc vincitur ut male velit, & bona jam voluntas ejus quomodo erit? Optandum est itaque ut potestas nunc detur, sed contra vitia propter quæ vincenda potentes nolunt esse homines, & volunt propter vincendos homines: ut quid hoc, nisi ut vere victi falso vincant, ne sint veritate, sed opinione victores. Velit homo prudens esse, velit fortis, velit temperans, velit justus: atque ut hæc veraciter possit, potentiam plane optet atque appetat, ut potens sit in seipso, & miro modo adversus seipsum pro seipso. Cætera vero quæ bene vult, & tamen non potest, sicut est immortalitas, & vera ac plena felicitas, desiderare non cesset, & patienter expectet.

Habet & anima mortem suam, cum vita beata caret, quæ vera animæ vita dicenda est. *Lib. 14. cap. 4.*

Magna hominis miseria est cum illo non esse, sine quo non potest esse. *cap. 12.*

Lib. 15. cap. 17. Non habet homo unde Deum diligat, nisi ex Deo.

cap. 28. Libera me, Deus, à multiloquio quod patior intus in a ima mea misera in conspectu tuo, & confugientem ad misericordiam tuam. Non enim cogitationibus taceo, etiam tacens vocibus. Et si quidem cogitarem nisi quod placeret tibi, non utique rogarem ut me ab hoc multiloquio liberares. Sed multæ sunt cogitationes meæ, tales quales nosti, cogitationes hominum quoniam vanæ sunt. Dona mihi non eis consentire, & si quando me delectant, eas nihilominus improbare, nec in eis velut dormitando immorari. Nec intantum valeant apud me, ut aliquid in opera procedat ex illis, sed ab eis mea saltem sit tuta sententia, tuta conscientia, te tuente.

Liber imperf. de Gen. ad litt. cap. 1. De obscuris naturalium rerum quæ omnipotenti Deo artifice facta sentimus, non affirmando, sed quærendo tractandum est, in Libris maxime quos nobis commen-

dat authoritas, in quibus temeritas asserendæ incertæ dubiæque opinionis difficile sacrilegii crimen evitat: ea tamen quærendi dubitatio Catholicæ Fidei metas non debet excedere.

Est principium sine principio, & est principium cum alio principio. Principium sine principio solus Pater est: ideo ex uno principio esse omnia credimus. Filius autem ita principium est, ut de Patre sit. cap. 3.

Et umbræ in picturis eminentiora quæque distinguunt, ac non specie, sed ordine placent. cap. 5.

Vitiorum nostrorum non est author Deus: sed tamen ordinator est, cum eo loco peccatores constituit, & ea perpeti cogit quæ merentur.

Quædam & facit Deus & ordinat: quædam vero tantum ordinat. Justos & facit & ordinat: peccatores autem, inquantum peccatores sunt, non facit, sed ordinat tantum. Illos ad dexteram, illos ad sinistram constituit; & quod in

ignem æternum jubet ire, ad meritorum ordinem valet. Ita species naturasque ipsas & facit & ordinat: privationes autem specierum defectusque naturarum non facit, sed ordinat tantum.

De Gen. ad litt. lib. 1. c. 5. Inest Deo benignitas summa & sancta, & justa, & quidam non ex indigentia, sed ex beneficentia veniens amor in opera sua.

cap. 7. Egenus atque indigus amor ita diligit, ut rebus quas diligit subjiciatur.

cap. 21. Cum divinos Libros legimus in tanta multitudine verorum intellectuum, qui de paucis verbis eruuntur, & sanitate Fidei Catholicæ muniuntur; id potissimum eligamus, quod certissimum apparuerit eum sensisse quem legimus. Si autem hoc latet, id certe quod circunstantia Scripturæ non impedit, & cum sana fide concordat. Si autem & Scripturæ circunstantia pertractari ac discuti non potest, saltem id solum quod fides sana præscribit: aliud est enim quid po-

tissimum Scriptor senserit, non dignoscere, aliud autem à regula pietatis errare. Si utrumque vitetur, perfecte se habet fructus legentis: si vero utrumque vitari non potest, etiamsi voluntas Scriptoris incerta sit, sanæ fidei congruam non inutile est * tenuisse sententiam. *eruisse

Ipse sibi homo in tentationibus certius innotescit. *Lib. 3. cap. 16.*

Animalia noxia vivos homines aut pœnaliter lædunt aut salubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent. *cap. 17.*

Corporis membra etiamsi singula pulchra sunt, multo sunt tamen in universi corporis compage omnia pulchriora. *cap. 24.*

Deus naturarum optimus conditor, peccantium vero justissimus ordinator est: ut etiam si qua singillatim fiunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis universitas pulchra sit.

Recte dicitur Deus facere quicquid ipso in nobis operante fecerimus. *Lib. 4. cap 9.*

cap. 11. Creatoris potentia, & omnipotentis atque omnitenentis virtus causa est subsistendi omni creaturæ. Quæ virtus ab eis quæ creata sunt, regendis, si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret.

cap. 32. Mens angelica pura charitate inhærens Verbo Dei, postea quàm illo ordine creata est, ut præcederet cætera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quàm facta sunt: ac si prius in ejus fiebant cognitione cum Deus dicebat ut fierent, quàm in sua propria natura: quæ itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minore utique notitia, quæ vespera dicta est. Quam notitiam sane præcedebant quæ fiebant, quia præcedit cognitionem quicquid cognosci potest: nisi enim prius sit quod cognoscatur, cognosci non potest.

Lib. 6. cap. 16. Nos pro captu infirmitatis humanæ jam in ipsis rebus tempore exortis possumus noscere quid in cujusque natura sit quod experi-

mento perceperimus, sed utrum etiam futurum sit ignoramus. Est quippe in natura hujus, verbi gratia, juvenis ut senescat; sed utrum hoc etiam sit in Dei voluntate, nescimus. Sed nec in natura esset, nisi in Dei voluntate prius fuisset qui condidit omnia: & utique occulta ratio est senectutis in corpore juvenili, vel juventutis in corpore puerili. Neque enim oculis cernitur, sicut ipsa in puero pueritia, sicut juventus in juvene, sed alia quadam notitia colligitur inesse in natura ratio quædam latens qua educantur in promptu numeri occulti, vel juventutis à pueritia, vel senectutis à juventute. Occulta est ergo ista ratio qua fit ut hoc esse possit, sed oculis: menti autem non est occulta: utrum autem hoc etiam necesse sit, omnino nescimus. Et illa quidem qua fit ut esse possit, in natura ipsius corporis novimus: illa vero qua fit ut necesse sit, manifestum est illic non esse.

cap. 17. Multa secundum inferiores causas futura sunt: sed si ita sunt, & in præscientia Dei vere futura sunt: si autem ibi aliter sunt, ita potius futura sunt, sicut ibi sunt, ubi qui præsit, falli non possit.

Lib. 7. cap. 2. Credendum est & intelligendum, neque ullo modo dubitandum, quod recta fides habet, animam sic esse è Deo, tanquam rem quam fecerit non tanquam de natura cujus est ipse, sive genuerit, sive quoquo modo protulerit.

cap. 19. Sicut Deus omnem creaturam, sic anima omnem corpoream creaturam naturæ dignitate præcellit.

p. 26. Natura hominis ex Deo est, non iniquitas qua se ipse involuit male utendo libero arbitrio: quod tamen si non haberet, in natura rerum minus excelleret.

Lib. 8. cap. 8. Quod maius mirabiliusque spectaculum est, aut ubi magis cum rerum natura humana ratio quodammodo loqui potest, quum positis seminibus, plantatis surculis, translatis arbusculis, insitis

malleolis, tanquam interrogatur quæque vis radicis & germinis quid possit, quidve non possit: unde possit, unde non possit: quid in ea valeat humorum invisibilis interiorque potentia, quid extrinsecus adhibita diligentia: inque ipsa consideratione perspicere, quia neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat; sed qui incrementum dat Deus, quia & illud operis quod accedit exterius, per illum accedit quem nihilominus creavit, & quem regit atque ordinat invisibiliter Deus.

Ille nostra servitute non indiget nos vero dominatione illius indigemus, ut operetur & custodiat nos: & ideo verus & solus est Dominus, quia non illi ad suam, sed ad nostram utilitatem salutemque servimus. Nam si nobis indigeret, eo ipso non verus Dominus esset, cum per nos eius adiuvaretur necessitas, sub qua & ipse serviret. Merito & ipse in Psalmo: *Dixi*, inquit, *Domino, Deus es tu, quo-* *cap. 11.* *Psal. 15.*

niam bonorum meorum non eges. Nec ita sentiendum est quod diximus nos illi ad utilitatem nostram salutemque servire, tanquam aliud aliquid ab illo expectemus, quàm eum ipsum qui summa utilitas & salus nostra est.

cap. 14. Neque ulla natura mali est, sed amissio boni hoc nomen accepit.

amissio. Aliquando * amissi superioris boni non sentitur malum, cum habetur quod amatum est inferius bonum.

Divina iustitia est, ut qui voluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit.

Lib. 9. cap. 7. Utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, recte excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis * *posset* officium, fit ægrotis remedium.

Id quod bonum habent nuptiæ, & quo bonæ sunt nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripertitum est, fides, proles, sacramentum. In fide attenditur ne præter vinculum conjugale,

cum altero vel altero concumbatur. In prole, ut amanter ſuſcipiatur, benigne nutriatur, religioſe
* educetur. In ſacramento autem *edocea-*
ut conjugium non ſeparetur, & di- *tur*
miſſus aut dimiſſa nec cauſa prolis alteri conjungatur. Hæc eſt tanquam regula nuptiarum, qua vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ * regitur pravitas. *reĳcitur*

Angeli nullam omnino poſſunt *cap. 15.*
creare naturam: ſolus enim unus cuiuſlibet naturæ, ſeu magnæ, ſeu minimæ, creator eſt Deus, id eſt ipſa Trinitas, Pater & Filius & Spiritus Sanctus.

Habet Deus in ſeipſo abſcondi- *cap. 17.*
tas quorumdam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit, eaſque implet non illo opere providentiæ quo naturas ſubſtituit ut ſint, ſed illo quo eas adminiſtrat ut voluerit, quas ut voluit condidit, ibi eſt & gratia per quam ſalvi fiunt peccatores.

Veriſſime ac veraciſſime ſcri- *Lib. 19.*
ptum eſt: *Caro concupiſcit adverſus* *cap. 12.*

ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. Sed tamen carnem ſine anima concupiſcere nihil poſſe puto, quod omnis doctus & indoctus non dubitet: ac per hoc ipſius concupiſcentiæ carnalis cauſa non eſt in anima ſola, ſed multo minus eſt in carne ſola. Ex utroque enim fit: ex anima ſcilicet, quod ſine illa delectatio nulla ſentitur: ex carne autem, quod ſine illa carnalis delectatio non ſentiatur. Carnem itaque concupiſcentem adverſus ſpiritum dicit Apoſtolus carnalem procul dubio delectationem, quam de carne & cum carne habet adverſus delectationem quam ſolus habet. Solus quippe habet, niſi fallor, illud deſiderium non cum carnis voluptate, vel carnalium rerum cupiditate commixtum, quod deſiderat & deficit anima in atria Domini. Solus habet etiam illud de quo ei dicitur: *Concupiſti ſapientiam, ſerva mandatum, & Dominus præbet illam tibi.*

Eccleſ.1. cap.35.

Occultum eſt atque ab humano,

vel certe ab ingenio meo remotiſſimum, cur naſcatur infans vel continuo vel cito moriturus.

Unde bonæ aut magis bonæ, ſeu non bonæ, aut minus bonæ animæ, niſi vel moribus ſecundum liberum voluntatis arbitrium, vel differentia temperaturę corporum, dum aliæ magis, aliæ minus gravantur corpore quod corrumpitur & aggravat animam? *cap. 17.*

Cum ſuperbia ſit amor excellentiæ propriæ, invidia vero ſit odium felicitatis alienæ, quid inde naſcatur ſatis in promptu eſt: amando enim quiſque excellentiam ſuam, vel paribus invidet quod ei coæquantur, vel inferioribus ne ſibi coæquentur, vel ſuperioribus quod eis non coæquetur. Superbiendo igitur invidus, non invidendo quiſque ſuperbus eſt. *Lib. 11. cap. 15.*

Aliter cogitamus Carthaginem quam novimus, aliter Alexandriam quam non novimus. *Lib. 12. cap. 6.*

Sunt tria genera viſionum. Primum appellemus corporale, quia *cap. 7.*

per corpus percipitur, & corporis sensibus exhibetur. Secundum spiritale: quicquid enim corpus non est, & tamen aliquid est, iam recte spiritus dicitur: & utique non est corpus, quamvis corpori similis sit imago absentis corporis, nec ille ipse obtutus quo cernitur. Tertium vero intellectuale, ab intellectu; quia mentale à mente ipsa vocabuli novitate nimis absurdum est, ut dicamus. Tria igitur ista genera visionum, corporale, spiritale, & intellectuale singillatim considerandа sunt, ut ab inferioribus ratio ad superiora conscendat. Jam quidem superius exemplum proposuimus, quo in una sententia omnia tria videantur genera. Cum enim legitur: *Diliges proximum tuum tanquam teipsum* corporaliter litteræ videntur, spiritaliter proximus cogitatur, intellectualiter dilectio conspicitur. Sed & litteræ absentes possunt spiritaliter cogitari, & proximus præsens potest corporaliter videri: dilectio autem

cap. 11.

nec

nec per substantiam suam potest oculis corporis cerni, nec per imaginem corpori similem spiritu cogitari, sed sola mente, id est, intellectu cognosci & percipi. Corporalis sane visio nulli horum generi præsidet; sed quod per eam sentitur, illi spiritali tanquam præsidenti nunciatur. Nam cum aliquid oculis cernitur, continuo fit imago eius in spiritu, sed non dignoscitur facta, nisi cum ablatis oculis ab eo quod per oculos videbamus, imaginem eius in animo invenerimus.

Discretio sane difficillima est, cap. 13. cum Spiritus malignus quasi tranquillus agit, ac sine aliqua vexatione corporis assumpto humano spiritu dicit quod potest: quando etiam vera dicit & utilia prædicat, transfigurans se, sicut scriptum est velut in Angelum lucis, ad hoc ut 2. Cor. 11 cum illi in manifestis bonis creditum fuerit, seducat ad sua. Hunc discerni non arbitror, nisi dono illo de quo ait Apostolus, cum de diversis Dei muneribus loquere-

1.Cor.12 tur, *alij diudicatio spirituum.* Non enim magnum est, hunc eum dignoscere cum ad aliqua pervenerit vel produxerit quæ sunt contra bonos mores vel regulam fidei: tunc enim à multis discernitur. Illo autem dono in ipso primordio quo multis adhuc bonus apparet, continuo diiudicatur an malus sit.

cap. 14 Tamen & per corporalem visionem, & per imagines corporalium quæ demonstrantur in spiritu, & boni instruunt & mali fallunt. Intellectualis autem visio non fallitur: aut enim non intelligit qui aliud opinatur quàm est, aut si intelligit continuo verum est.

Nec putantium periculo, & non potius exitio suo quisque à bonis putatur bonus, etiam si occultus sit malus, si in rebus ipsis, id est, in ipso bono, quo sit quisque bonus, non erretur.

Cum visis corporalibus Diabolus fallit, nihil obest quod ludificantur oculi, si non erratur in veritate fidei, & intelligentiæ sani-

tate, qua docet Deus subiectos sibi.

Omni modo præstantior est qui facit ea re de qua aliquid facit. cap. 16.

Certissimis indiciis apud nos constitit enunciatas à dæmonibus cogitationes hominum, qui tamen si virtutum internam speciem possent in hominibus cernere, non tentarent: sicut illam in Job nobilem ac mirabilem patientiam procul dubio si posset Diabolus cernere, nollet à tentato utique superari. Cæterum alicubi longe iam facta quod nunciant, quæ post aliquot dies vera esse firmentur, non est mirandum. Comperimus etiam in domo constitutum patientem spiritum immundum dicere solere quando ad eum venire cœpisset ex duodecim millibus Presbyter; & omnia loca itineris ubi esset, & quàm propinquaret, & quando ingrederetur & fundum & domum cubiculum, donec in conspectu eius astaret. Quæ omnia etsi non oculis patiens ille cernebat, tamen cap. 17.

nisi aliquo modo cerneret, non tam veraciter enunciaret. Erat autem iste febriens, & tanquam in phrenesi ista dicebat. Et forte revera phreneticus erat, sed propter ista dæmonium pati putabatur. Nullum refectionis cibum accipiebat à suis, sed à solo Presbytero. Resistebat etiam suis violenter quantum valebat, solo Presbytero veniente quiescebat, illi tantum subditus erat, & subdite respondebat. Nec tamen eidem saltem Presbytero illa cessit mentis alienatio, sive dæmonium, nisi cum sanus esset à febribus, sicut phrenetici sanari solent, nec aliquando postea tale aliquid passus est.

cap. 24. Præstantior est visio spiritalis quàm corporalis, & rursus præstantior intellectualis quàm spiritalis: corporalis enim sine spiritali esse non potest, quandoquidem momento eodem quo corpus sensu corporis tangitur, fit etiam in animo tale aliquid: non quod hoc sit, sed quod simile sit: quod si non

fieret, nec sensus ille esset, quo ea quæ extrinsecus adjacent, sentiuntur: Neque enim corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad formandum in seipsa quod extrinsecus nunciatur. Non potest itaque fieri visio corporalis, nisi etiam spiritalis simul fiat: sed non discernitur, nisi cum fuerit sensus ablatus à corpore, ut id quod per corpus videbatur, inveniatur in spiritu. At vero spiritalis visio etiam sine corporali fieri potest, cum absentium corporum similitudines in spiritu apparent, & finguntur multæ pro arbitrio, vel præter arbitrium demonstrantur. Item spiritalis visio indiget intellectuali ut dijudicetur; intellectualis autem ista spiritali inferiore non indiget, ac per hoc spiritali corporalis, intellectuali autem utraque subjecta est.

In divinis Scripturis assidue invenimus promitti nobis coronam, si vicerimus. *De agone christiano lib. cap. 11*

Quia naturam nostram decepe-

rat (Diabolus) dignatus est unigenitus Dei Filius ipsam naturam nostram suscipere, ut de ipsa Diabolus vinceretur, & quem semper ipse sub se habet, etiam sub nobis eum esse faceret.

cap. 2. Ibi vincuntur inimicæ nobis invisibiles potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates. Et ideo qui in nobis ipsis vincimus temporalium rerum cupiditates, necesse est ut in nobis ipsis vincamus & illum qui per ipsas cupiditates regnat in homine.

Quisquis timet illum ignem qui paratus est Diabolo & angelis ejus, det operam triumphare de illo, in semetipso.

cap. 7. Ne quis forte hoc ipsum quærat, quomodo fiat ut corpus nostrum servituti subjiciamus, facile intelligi & fieri potest, si prius nos ipsos subiiciamus Deo bona voluntate & charitate sincera.

Omnis creatura, velit, nolit, uni Deo & Domino suo subiecta est.

Omnes divinæ providentiæ ser-

viunt; sed alii obediunt tanquam filii, & faciunt cum ea quod bonum est: alii vero ligantur tanquam servi, & fit de illis quod iustum est. Ita Deus omnipotens, Dominus universæ creaturæ, qui fecit omnia, sicut scriptum est, bona valde, sic ea ordinavit ut & de bonis & de malis bene faciat: quod enim juste fit, bene fit. Juste autem sunt beati boni, & juste mali pœnas patiuntur. Ergo & de bonis & de malis benefacit Deus, quoniam juste omnia facit. Boni autem sunt qui tota voluntate Deo serviunt, mali autem necessitate serviunt; nemo enim leges omnipotentis evadit. Sed aliud est facere quod lex iubet, aliud pati quod lex iubet. Quapropter boni secundum leges faciunt, mali secundum leges patiuntur.

Gaudet & piscis, quando hamum non videns escam devorat: sed cum piscator eum adducere cœperit, viscera eius torquentur primo, deinde ab omni lætitia sua per ipsam

Quæ avaritia ſanari poteſt, ſi paupertate Filij Dei non ſanatur? Quæ iracundia ſanari poteſt, ſi patientia Filij Dei non ſanatur? Quæ impietas ſanari poteſt, ſi charitate Filij Dei non ſanatur? Poſtremo quæ timiditas ſanari poteſt, ſi reſurrectione corporis Domini non ſanatur?

Nolite voſipſos contemnere, viri, Filius Dei virum ſuſcepit. Nolite voſipſas contemnere, feminæ, Filius Dei natus ex femina eſt. Nolite tamen amare carnalia, quia in Filio Dei nec maſculus nec femina ſumus. Nolite amare temporalia; quia ſi bene amarentur, amaret ea homo quem ſuſcepit Filius Dei. Nolite timere contumelias & cruces & mortem, quia ſi nocerent homini, non ea pateretur homo quem ſuſcepit Filius Dei.

Si multum de nobis ſentimus, dignemur imitari eum qui Filius Altiſſimi vocatur. Si parum de nobis ſentimus, audeamus imitari piſcatores & publicanos, qui eum

imitati sunt.

Quis de se desperet pro quo tam humilis esse voluit Filius Dei?

cap. 12. Subjiciamus animam Deo, si volumus servituti subjicere corpus nostrum, & de Diabolo triumphare.

cap. 13. Fides est prima quæ subjugat animam Deo, deinde præcepta vivendi, quibus custoditis spes nostra firmatur, & nutritur charitas, & lucere incipit quod antea tantummodo credebatur.

Sicut in cognitione cavendus est error, sic in actione cavenda est nequitia.

Errat quisquis putat veritatem se posse cognoscere, cum adhuc nequiter vivat.

Nequitia est mundum istum diligere, & ea quæ nascuntur & transeunt pro magno habere: & ea concupiscere, & pro his laborare ut acquirantur: & lætari cum abundaverint, & timere ne pereant & contristari cum pereunt.

cap. 30. Nusquam tam vigere debent

viſcera miſericordiæ, quàm in Catholica Eccleſia, ut tanquam vera mater nec peccantibus filiis ſuperbe inſultet, nec correctis difficile ignoſcat.

Debet Eccleſia Catholica correctis & pietate firmatis filiis libenter ignoſcere, cum ipſi Petro perſonam ejus geſtanti, & cum in mari titubaſſet, & cum Dominum carnaliter à Paſſione revocaſſet, & cum aurem ſervi gladio præcidiſſet, & cum ipſum Dominum ter negaſſet, & cum in ſimulationem poſtea ſuperſtitioſam lapſus eſſet, videamus veniam eſſe conceſſam, eumque correctum atque firmatum uſque ad Dominicæ Paſſionis gloriam perveniſſe.

Perfecta charitas nec cupiditatem habet ſeculi, nec timorem ſeculi; id eſt, nec cupiditatem ut acquirat res temporales; nec timorem, ne amittat res temporales. *cap. 33.*

Volentibus & amantibus jugum Chriſti lene eſt, & ſarcina ejus levis.

De opere Monac. lib. cap. 17. Citius exauditur una oratio obedientis, quàm decem millia contemptoris.

cap. 25. Omnium Christianorum una respublica est: & ideo quisquis Christianis necessaria ubilibet erogaverit, undecumque etiam ipse quod sibi necessarium est, accipit, de Christi bonis accipit: quia ubicumque & ipse talibus dedit, quis nisi Christus accepit?

cap. 33. Qui recte facere nolunt, desinant saltem docere perversa.

De spir. & litter. lib. cap. 6. Nec qui laudat beneficium medicinæ, prodesse morbos dicit & vulnera, à quibus illa hominem sanat: sed quanto maioribus medicina laudibus prædicatur, tanto magis vituperantur & horrentur vulnera & morbi à quibus liberat quæ ita laudatur.

cap. 11. Pieras est vera sapientia.

cap. 13. Quis est spiritus mundi huius, nisi superbiæ spiritus?

cap. 19. Lex data est, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut lex impleretur.

Sicut in regno Dei velut ſtella ab ſtella in gloria differunt Sancti, ſic & in damnatione pœnæ ſempiternæ tolerabilius erit Sodomæ quàm alteri civitati, & erunt quidam duplo amplius quibuſdam gehennæ filii; ita nec illud in iudicio Dei vacabit, quod in ipſa impietate damnabili magis alius alio minuſve peccaverit. cap. 28.

Sicut lex non evacuatur, ſed ſtatuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non evacuatur per gratiam, ſed ſtatuitur; quia gratia ſanat voluntatem, qua iuſtitia libere diligatur. cap. 30.

Mala voluntas iam ſola peccatum eſt, etiamſi deſit effectus: id eſt, ſi non habeat poteſtatem. Porro cum voluntas mala poteſtatem accipit implere quod intendit, ex iudicio Dei venit, apud quem non eſt iniquitas: punit enim etiam iſto modo, nec ideo injuſte, quia occulte. Cæterum iniquus puniri ſe ignorat, niſi cum manifeſto ſup- cap. 31.

plicio ſenſerit nolens, quantum mali ſit quod perpetravit volens. Hoc eſt quod de quibuſdam Apoſtolus ait: *Tradidit illos Deus in concupiſcentias cordis illorum, ut faciant quæ non conveniunt.* Hinc & Dominus Pilato: *Non haberes in me,* inquit, *poteſtatem, niſi data eſſet tibi deſuper.* Sed cum poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur. Unde cum David Saülis occidendi poteſtatem accepiſſet, maluit parcere quàm ferire: unde intelligimus malos accipere poteſtatem ad damnationem malæ voluntatis ſuæ, bonos autem ad probationem bonæ voluntatis ſuæ.

cap. 32. Non quodlibet credere bonum
1. *Ioan.* eſt: nam unde eſt illud: *Fratres,*
4. *nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritum qui ex Deo eſt?* Nec in laudibus charitatis quod dictum
2. *Cor.* 13 eſt: *Omnia credit:* ſic accipiendum eſt, ut charitati cujuſpiam derogandum ſit, ſi non quod audierit, ſtatim crediderit. Quid quod eadem charitas admonet non facile

de fratre mali aliquid esse credendum; & cum tale aliquid dicitur, hoc ad se magis iudicat pertinere ne credat? Postremo ipsa charitas quæ omnia credit, non omni spiritui credit: ac per hoc omnia quidem credit, sed Deo: quia non dictum est, Omnibus credit.

Charitas Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut iustitia Dei, qua iusti eius munere efficimur: & Domini salus, qua nos salvos facit: & fides Jesu Christi, qua nos fideles facit.

Vult Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes iustissime iudicentur. cap. 33. 1. Tim. 2.

Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum eius Evangelio non credunt: nec ideo eam vincunt, verum seipsos fraudant magno & summo bono, malisque

pœnalibus implicant, experturi in suppliciis potestatem eius cuius in donis misericordiam contempserunt. Ita voluntas Dei semper invicta est: vinceretur autem si non inveniret quid de contemptoribus faceret, aut ullo modo possent evadere quod de talibus ille constituit.

cap. 36. Sciri aliquid vel credi, & tamen non diligi potest: diligi autem quod neque scitur neque creditur, non potest.

De divinat. one dæmoñ lib. cap 2. Non ideo putandum aliquid iuste ac bene fieri; quia hoc Omnipotens, quamvis ei displiceat, fieri tamen finit.

De mendacio lib. cap. 1. Nunquam errari tutius existimo, quàm cum in amore nimio veritatis, & reiectione nimia falsitatis erratur.

cap. 2. (Joci) nunquam sunt putata mendacia; habent enim evidentissimam ex pronunciatione atque ipso iocantis affectu significationem animi nequaquam fallentis, etsi non vera enunciantis.

Quisquis hoc enunciat quod vel creditum animo, vel opinatum tenet, etiamsi falsum sit, non mentitur: hoc enim debet enunciationi suæ fidei, ut illud per eam proferat quod animo tenet, & sic habet ut profert. cap. 3.

Ille mentitur qui aliud habet in animo, & aliud verbis vel quibuslibet significationibus enunciat.

Quicquid figurate fit aut dicitur, non est mendacium: omnis enim enunciatio ad id quod enunciat, referenda est. Omne autem aut figurate factum aut dictum, hoc enunciat quod significat eis quibus intelligendum prolatum est. cap. 5.

Aliter gratulamur cum sanus est homo: aliter cum melius habet ægrotus.

Bonis ad imitandum non proponitur quod in malis cum proficere cœperint, in peioris comparatione laudatur.

Illa mors quam stulte timent homines qui peccare non timent, non animam, sed corpus occidit. cap. 6.

Ipsa dilectio proximi ex sua cujusque dilectione terminum accepit. *Diliges*, inquit, *proximum tanquam teipsum.* Quomodo ergo quisque diligit tanquam seipsum, cui ut præstet vitam temporalem ipse amittit æternam? Quandoquidem si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est iam diligere sicut seipsum, sed plus quàm seipsum.

Leu. 19.

Quod violenter non præcedente libidine patitur corpus, vexatio potius quàm corruptio nominanda est.

cap. 7.

Quanto præstantior est animus corpore, tanto sceleratius corrumpitur.

Quicquid ita fit, ut nisi fieret, iuste reprehenderetur, non est peccatum.

cap. 9.

Exemplum patientiæ nullum quàm ipsius Domini potentius & excellentius invenimus.

cap. 15.

Pudicitiam corporis, non consentiente ac permittente anima, nemo violat.

cap. 19.

Animi castitas est in bona voluntate & sincera dilectione, quæ non corrumpitur, nisi cum amamus atque appetimus quod amandum arque appetendum non esse veritas docet.

Est animi castitas ordinatus amor non subdens majora minoribus. *cap. 20.*

Minus est quicquid in corpore, quàm quicquid in animo violari potest.

A regula catholica non recedit, qui hæreticum catholica dogmata mendaciter profitentem, catholicum credit. Ac per hoc non est ei perniciosum, quia in hominis mente, de qua latente non potest judicare, non in Dei fallitur fide, quam debet insitam custodire. *Contra mendacium li. cap. 3.*

Quando cum sint Priscillianistæ, ut venena sua non prodant, nostros se esse mentiuntur, quisquis nostrûm eis credit, etiam illis latentibus, ipse catholicus perseverat. Nos contra ut ad eorum perveniamus indaginem, si Priscillianistas

nos esse mentimur, quia eorum tanquam nostra sumus dogmata laudaturi; quisquis ea crediderit, aut confirmabitur apud eos, aut transferetur ad eos interim statim: quid autem hora superventura pariat, utrum inde postea liberentur, vera dicentibus nobis qui decepti sunt fallentibus nobis: & utrum audire velint docentem quem sic experti sunt mentientem, quis noverit certum? quis hoc esse ignoret incertum? Ex quo colligitur pernicioſius, aut, ut mitius loquar, periculosius mentiri catholicos ut hæreticos capiant, quàm mentiuntur hæretici ut catholicos lateant. Quoniam quisquis credit catholicis mentiendo tentantibus, aut efficitur aut confirmatur hæreticus. Quisquis autem credit hæreticis mentiendo sese occultantibus, non desinit esse catholicus.

Veritate sunt cavenda, veritate capienda, veritate occidenda mendacia.

cap. 6. Illud quod scriptum est: Qui

loquitur veritatem in corde suo: non sic accipiendum est quasi retenta in corde veritate loquendum sit in ore mendacium; sed ideo dictum est, quia fieri potest ut loquatur quisque ore veritatem, quæ nihil ei prosit si eam in corde non teneat: id est, si quod loquitur ipse non credat: sicut hæretici, maximéque iidem Priscillianistæ faciunt, cum Catholicam veritatem non quidem credunt, sed tamen loquuntur, ut nostri esse credantur. *Psal. 14.*

Non animus à facto excusatur, quando dicitur aliquid non ex animo fieri, quod tamen non fieret, nisi animus faciendum esse decerneret. *cap. 7.*

Interest quidem plurimum qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat: sed ea quæ constat esse peccata nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt. Ea quippe opera hominum sicut causas habuerint bonas seu malas, nunc sunt bona, nunc mala,

quæ non ſunt per ſeipſa peccata: ſicut victum præbere pauperibus bonum opus eſt, ſi fit cauſa miſericordiæ: ſicut concubitus conjugalis, quando fit cauſa generandi, ſi ea fide fiat ut gignantur regenerandi. Hæc atque huiuſmodi ſecundum ſuas cauſas opera ſunt bona vel mala, quia eadem ipſa ſi habeant malas cauſas in peccata vertuntur. Velut ſi jactantiæ cauſa pauper paſcitur, aut laſciviæ cauſa cum uxore concumbitur, aut filij generantur, non ut Deo, ſed ut Diabolo nutriantur. Cum vero jam opera ipſa peccata ſunt, ſicut furta, ſtupra, blaſphemiæ, vel cætera talia; quis eſt qui dicat cauſis bonis eſſe facienda, ut vel peccata non ſint; vel quod eſt abſurdius, juſta peccata ſint?

cap. 10. Non hoc eſt occultare veritatem, quod eſt proferre mendacium: quamvis enim omnis qui mentitur velit celare quod verum eſt, non tamen omnis qui vult quod verum eſt occultare, mentitur:

plerumque enim vera non mentiendo occultamus, sed tacendo: neque enim mentitus est Dominus, ubi ait: *Multa habeo vobis dicere, sed non poteſtis illa portare modo.* Vera tacuit, non falsa loquutus est, quibus veris audiendis eos minus idoneos judicavit. Quod si eis hoc ipsum non indicasset, id est, non eos posse portare quæ dicere noluit, occultaret quidem nihilominus aliquid veritatis: sed posse hoc recte fieri forsitan nesciremus, aut non tanto firmaremur exemplo. Joan. 16

Non est mendacium cum silletur verum, sed cum loquendo premitur falsum.

Mendacium est falsa significatio cum voluntate fallendi. Non est autem falsa significatio, ubi etsi aliud ex alio significatur, verum est tamen quod significatur, si recte intelligatur. cap. 12.

Nihil judicandus est dicere, qui dicit aliqua justa esse mendacia, nisi aliqua justa esse peccata, ac per cap. 13.

hoc aliqua iusta esse quæ iniusta sunt. Quo quid absurdius dici potest? Unde enim est peccatum, nisi quia iustitiæ contrarium est?

Ea quæ contra legem Dei fiunt, iusta esse non possunt.

Gravius est peccatum quod animo nocentis, quàm quod animo subvenientis efficitur.

Faciat homo etiam pro temporali hominum salute quod potest: cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, iam se existimet non habere quid faciat, quando id reliquum esse perspexerit quod non recte faciat.

cap. 15. Non est verum, aliquando esse mentiendum: & quod non est verum, nemini est omnino suadendum.

cap. 21. Aut cavenda mendacia recte agendo, aut confitenda sunt pœnitendo: non autem cum abundant infeliciter vivendo, augenda sunt & docendo.

De fide Neque dilectio Dei potest esse in homine

homine qui non diligit proximum, nec dilectio proximi in eo qui non diligit Deum. *& operibus l. cap. 13.*

Qui credit Deo, debet facere quod præcepit Deus: & qui propterea facit quia præcepit Deus, necesse est ut credat Deo.

Cum dicit Apostolus arbitrari se iustificari hominem per fidem sine operibus legis, non hoc agit ut percepta ac professa fide opera iustitiæ contemnantur, sed ut sciat se quisque per fidem posse iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint: sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum. *cap. 14. Rom. 3.*

Fides Christi, fides gratiæ Christianæ, id est, ea fides quæ per dilectionem operatur, posita in fundamento, neminem perire permittit. *cap. 16.*

Retibus bonis capi possunt pisces & boni & mali, retibus autem malis capi non possunt pisces boni. *cap. 17*

In doctrina bona & bonus potest esse qui audit & facit, & malus qui audit & non facit: in doctrina

vero mala & qui eam veram putat, quamvis ei non obtemperet, malus est: & qui obtemperat, pejor est.

cap. 23. Inseparabilis est bona vita à fide quæ per dilectionem operatur: imo vero ea ipsa est bona vita.

Quæst. super Genes. lib. 1. Qu. 39. Nonnulla pars inventionis est nosse quid quæras.

Non disputatio veritate, sed veritas disputatione requiritur.

More humano Deus in Scripturis ad homines loquitur.

Quæst. super Exodū lib. 2. Qu. 13. Neque mendaciter Deus jubet quod scit non facturum cui jubetur, ut iustum iudicium consequatur.

Qu. 143 Dicitur Sap. 3. *Malum à Deo*, non secundum malitiam qua homines mali sunt; malus enim Deus non est, sed malis ingerit mala, quia justus est.

Quæst. super Numer. lib. 4. Qu. 23. Si diligenter consideratur, forte ipsum peccare nemo velit, sed propter aliud fit quod vult qui peccat. Omnes quippe homines qui scientes faciunt quod non licet, vellent

ere. Usque adeo ipsum peccare emo appetit propter hoc ipsum, d propter illud quod ex eo con- equitur.

Temporalium bonorum atque arnalium, & spiritualium atque eternorum, quæ clarior certiorque distinctio est quàm Passio Domini nostri? In cujus morte satis constitit, non istam terrenam transitoriamque felicitatem à Domino Deo pro magno munere sperandam & optandam, quandoquidem in unigenito Filio suo, quem tanta illa perpeti voluit, longe aliud à se peti, expectarique oportere apertissima distinctione declaravit. *Qu. 33.*

Visibiles afflictiones hominum sive mortes, quoniam his quibus ingeruntur, & obesse & prodesse possunt, novit Dominus in occulto providentiæ suæ quemadmodum juste quibusque dispenset, etiam cum aliorum peccata in aliis videtur ulcisci: pœnas vero invisibiles quæ non nisi nocent, & prodesse non possunt, ita nullus Deo judice *Quæst. super Ios. sue l. 6. quæst. 8.*

pro alienis peccatis luit, ſicut homine judice luere nullus niſi pro ſua culpa iſtas viſibiles debet.

Qu. 49. Agit ſpiritus Domini & per bonos & per malos, & per ſcientes & per neſcientes, quod agendum novit & ſtatuit.

Qu. 50. Mors ſicut nec ſibi à quoquam ſponte, nec cuiquam ſponte inferenda eſt, ita Deo jubente recuſanda non eſt, cuius conſtitutione quocumque tempore obeunda eſt.

Quæſt. Evang. lib. 1. Qu. 38. Unumquodque ſchiſma & unaquæque hæreſis, aut locum ſuum habet in orbe terrarum, partem aliquam tenens: aut obſcuris atque occultis conventiculis curioſitatem hominum decipit.

Qu. 45. Quod Petrus necdum ſolidatus in fide, Deum ter negavit, videtur trina ejus negatio pravum errorem hæreticorum deſignaſſe: nam error hæreticorum de Chriſto tribus generibus terminatur; aut enim de divinitate eius, aut de humanitate, aut de utroque falluntur.

Jejunium aut in tribulatione est, aut in gaudio: in tribulatione, ad propiciandum Deum pro peccatis: in gaudio vero cum tanto minus delectant carnalia, quanto spiritalium major sagina est. *Lib. 2. qu. 18.*

Nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. *Qu. 40.*

Non omne quod fingimus mendacium est; sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc est mendacium. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia quæ à sapientibus & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figurate dicta sunt, mendacia deputabuntur, quia secundum usitatum intellectum non subsistit veritas in talibus dictis. *Qu. 51.*

Fictio quæ ad aliquam veritatem refertur, figura est: quæ non refertur, mendacium est.

Inter hæreticos & malos catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt, illi autem vera cre- *Quæst. Evang. super Matth.*

dentes non vivunt ita ut credunt.

lib. 83 quæst. 11. Solet etiam quæri, Schismatici quid ab hæreticis distent, & hoc inveniri quod Schismaticos non fides diversa faciat, sed communionis disrupta societas.

Nec consequens est ut omnis hæreticus vel schismaticus corporaliter ab Ecclesia separetur: si enim falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ quæ ad fidei pertinet ædificationem, ita ut non quærentis cunctatione * tentatus sit, sed inconcusse credentis nec omnino scientis opinione atque errore discordans, hæreticus est, & foris est animo, quamvis corporaliter intus videatur: multos enim tales portat Ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiæ suæ, ut intentam multitudinem faciant: quod si fecerint, tunc pellantur. Item quicumque invident bonis, ita ut quærant occasiones excludendi eos aut degradandi, vel crimina sua sic defendere parati sunt, si objecta vel prodita fuerint,

temperatus.

ut etiam conventiculorum ſegregationes, vel Eccleſiæ perturbationes cogitent excitare, jam ſchiſmatici ſunt, & ab unitate corde diſciſſi, etiamſi non inventis aut occultatis factis ſuis ſacramento Eccleſiæ corporali converſatione ſocientur.

Boni catholici ſunt qui & fidem integram ſequuntur, & mores bonos.

Cum ſpiritalis homo eſſe cœperit, dijudicans omnia, tunc ei errores incipiunt apparere. Qu. 12.

Cum eſſe quiſque ſpiritalis cœperit, cognoſcit errores hæreticorum, & omnino dijudicat atque diſcernit quicquid audierit aut legerit abhorrere à regula veritatis.

Omne quod fit, ei à quo fit par eſſe non poteſt. 83. Qu. lib. 6.

Melior homo eſt qui voluntate quàm qui neceſſitate bonus eſt: voluntas igitur libera danda homini fuit. Quæſt. 1.

Deus cum liberat, non partem aliquam, ſed totum liberat, quod Qu. 11.

forte in periculo est.

Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere: ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat ut feminei sexus liberatio appareret, quod ille vir de femina natus est.

cap. 14. Pleraque medicamenta prius affligunt ut sanent: & ipsa collyria quæ ad oculos pertinent, si ea opus est intrinsecus infundi, nisi prius sensum videndi claudant & perturbent, prodesse non possunt.

cap. 17. Frustra dicunt quidam, qui jam sanam fidem tenent, ideo se nolle mori ut proficiant, cum ipse profectus eorum in eo * profectus sit ut mori velint. Si ergo verum loqui volunt, non dicant: Ideo mori nolo ut proficiam, sed ideo mori nolo quia parum profeci. Itaque mori nolle fidelibus non consilium est ut proficiant, sed indicium quod parum profecerint. Proinde quod nolunt ut perfecti sint, velint & perfecti sunt.

* perfectus

Nihil

Nihil casu fit in mundo.

Nec peccatum nec recte factum imputari cuiquam iuste potest, qui nihil fecerit propria voluntate. Est igitur & peccatum & recte factum in libero voluntatis arbitrio.

Sapientia Dei hominem ad exemplum quo recte viveremus suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam ea quæ non sunt metuenda, non metuere: mors autem metuenda non est. Oportuit ergo idipsum illius hominis quem Dei Sapientia suscepit, morte monstrari. Sunt autem homines, qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen aliquod ipsius mortis horrescunt. Nihilominus autem ut ipsa mors metuenda non est, ita etiam nullum genus mortis bene & recte viventi homini metuendum est. Nihilominus igitur hoc quoque illius hominis cruce ostendendum fuit. Nihil enim erat inter omnia genera mortis illo genere execrabilius & formidolosius.

Quæst. 27. Omnis tribulatio aut pœna impiorum (est) aut exercitatio justorum, quia eadem tribula & paleas concidit, & frumenta à paleis exuit, unde tribulatio nomen accepit.

Quæst. 30. Omnis humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, atque utendis frui. Et rursus omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti.

Quæst. 31. Patientia est honestatis aut utilitatis causa rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac diuturna perpessio.

Quæst. 33. Nulli dubium est non aliam metuendi esse causam, nisi ne id quod amamus, aut adeptum amittamus, aut non adipiscamur speratum.

Quæst. 35. Æternum est de quo solo recte fiditur, quod amanti auferri non potest.

Quæst. 36. Nemo est qui non magis fugiat dolorem, quàm appetat voluptatem.

Quæst. 48. Credibilium tria sunt genera:

ia sunt quæ semper creduntur, nunquam intelliguntur, sicut st omnis historia temporalia & humana gesta percurrens. Alia nox ut creduntur, intelliguntur, sicut sunt omnes rationes humanæ vel de numeris, vel de quibuslibet disciplinis. Tertium, quæ primo creduntur, & postea intelliguntur: qualia sunt ea quæ de divinis rebus non possunt intelligi, nisi ab his qui mundo sunt corde, quod fit præceptis servatis quæ bene vivendo accipiuntur.

Deus genuit, quoniam meliorem se generare non potuit, nihil enim Deo melius, generare debuit æqualem. Si enim voluit & non potuit, infirmus est: si potuit & non voluit, invidus est. Ex quo conficitur æqualem genuisse filium. Quæst. 49.

Ubi non est gratia liberationis, auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum. Quæst. 66.

Mortem non meruit Adam, nisi peccando. Quæst. 67.

Qui vivit ex corpore, carnalis homo vel animalis vocatur: carnalis, quia carnalia sectatur: animalis autem, quia fertur dissoluta lascivia animæ suæ, quam non regit spiritus, neque coërcet intra metas naturalis ordinis, quia & ipse se non subdit regendum Deo. Qui autem spiritu animam regit, & per animam corpus, quod facere non potest nisi Deum habeat & ipse rectorem, vocatur spiritalis.

Quæst. 68. Merces cognitionis meritis redditur, credendo autem meritum comparatur. Ipsa autem gratia, quæ data est per fidem, nullis nostris meritis præcedentibus data est.

Quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus & vocatus, sive intrinsecus ubi nullus hominum videt, sive extrinsecus per sermonem sonantem aut per aliqua signa visibilia, efficitur ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis. Ad illam enim cœnam quam *Luc. 14.*

Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt: neque illi qui venerunt, venire possent nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venirent vocati erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea & si quisquam sibi tribuit quod venit vocatus, non sibi potest tribuere quod vocatus est: qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicij, cum vocatus venire neglexerit.

Aliter dicitur finis qui pertinet ad consummationem, aliter qui pertinet ad consumptionem. Aliter enim finitur tunica texendo, aliter cibus comedendo.

Illud cogitandum, nullum esse hominem qui non possit habere *Quæst.* 71.

aliquod bonum quod tu nondum habes, etiamsi lateat in quo sine dubio possit te esse superior.

Quæst. 73. Multis modis habitum dicimus. Vel habitum animi, sicut est cujuscumque disciplinæ perceptio usu roborata atque firmata: vel habitum corporis, secundum quem dicimus alium alio esse succulentiorem & validiorem, quæ magis proprie habitudo dici solet: vel habitum eorum quæ membris nostris accommodantur extrinsecus: secundum quem dicimus vestitum, calciatum, armatum, & si quod ejusmodi est. In quibus omnibus generibus, siquidem nomen hoc ductum est ab illo verbo quod est habere, manifestum est in ea re dici habitum quæ accidit alicui, ut ita eam possit etiam non habere: nam & doctrina accidit animo, & succus ac robur corpori, & vestis atque arma non dubium est quin accidant membris nostris: ita ut imperitus possit esse animus si ei doctrina non accideret: & exile

atque languidum corpus sine succo viscerum ac robore: & nudus sine veste, & inermis sine armis, & pede nudo sine calciamentis esse homo potest. Habitus ergo in ea re dicitur, quæ nobis ut habeatur accidit. Verum etiam hoc interest, quod quædam eorum quæ accidunt nobis ut habitum faciant, non mutantur à nobis, sed ipsa nos mutant, in seipsis integra & inconcussa manentia: sicuti ipsa sapientia, cum accidit homini, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit. Quædam vero sic accidunt ut & mutent & mutentur: sicuti cibus ipse amittens speciem suam in corpus nostrum vertitur, & nos refecti cibo ab exilitate & languore in robur atque valentiam commutamur. Tertium vero genus est cum ipsa quæ accidunt, mutantur ut habitum faciant, & quodammodo formantur ab eis, quibus habitum faciunt, sicut est vestis: nam cum reposita vel projecta est, non ha-

bet eam formam quam sumit cum induitur atque inducitur membris. Ergo induta accipit formam quam non habebat exuta, cum ipsa membra & cum exuuntur & cum induuntur, in suo statu maneant. Potest esse & quartum genus, cum ea quæ accidunt ad faciendum habitum, nec ea mutant quibus accidunt, nec ab eis ipsa mutantur: sicut annulus in digito si non nimis subtiliter attendatur. Veruntamen hoc genus aut nullum est, si diligenter discutias, aut omnino rarissimum.

Quæst. 74. Imago, & æqualitas, & similitudo distinguenda sunt: quia ubi imago, continuo similitudo, non continuo æqualitas. Ubi æqualitas, continuo similitudo, non continuo imago. Ubi similitudo, non continuo imago, non continuo æqualitas: ut in speculo est imago hominis, quia de illo expressa est etiam necessario similitudo, non tamen æqualitas: quia multa desunt imagini quæ tamen insunt illi

i de qua expressa est. Ubi æqua-
tas, continuo similitudo, non
ontinuo imago, velut in duobus
vis paribus, quia ineſt æqualitas,
neſt ſimilitudo; quæcumque enim
adſunt uni, adſunt alteri: imago
tamen non eſt, quia neutrum de
altero expreſſum eſt. Ubi ſimili-
tudo, non continuo imago, non
continuo æqualitas: omne quippe
ovum omni ovo, in quantum
ovum eſt, ſimile eſt; ſed ovum
perdicis quamvis in quantum
ovum eſt ſimile eſt ovo gallinæ,
nec imago tamen ejus eſt: quia
de illo expreſſum non eſt, nec æ-
quale quia brevius eſt, & alterius
generis animantium. Sed ubi di-
citur, non continuo, utique intel-
ligitur, quia eſſe aliquando poteſt.
Poteſt ergo eſſe aliqua imago, in
qua ſit etiam æqualitas, ut in pa-
rentibus & filijs inveniretur ima-
go & æqualitas, & ſimilitudo ſi
intervallum temporis defuiſſet:
nam & de parente expreſſa eſt ſi-
militudo filij, ut recte dicatur ima-

go, & potest esse tanta, ut recte etiam dicatur æqualitas, nisi quod parens tempore præcessit. Ex quo intelligitur & aliquando æqualitatem non solum similitudinem habere, sed etiam imaginem, quod in superiori exemplo manifestum est. Potest etiam aliquando similitudo esse æqualitas, quamvis non sit imago, ut de duobus ovis paribus dictum est. Potest etiam similitudo & imago esse, quamvis non sit æqualitas, ut in speculo ostendimus. Potest & similitudo esse ubi & æqualitas & imago sit, sicut de filijs commemoravimus, excepto tempore quo procedunt.

Quæst. 79. Unaquæque res visibilis in hoc mundo habet potestatem angelicam sibi præpositam, sicut aliquot locis divina Scriptura testatur.

Est lex universitatis divina sapientia.

Quorumdam peccatorum perpetrandorum facilitas, pœna est aliorum præcedentium.

Non acceptiores erant Deo,

ràm populus Iſraël, Magi Ægyciorum quia non poterat ille populus facere quod illi faciebant.

Aliter Magi faciunt miracula, aliter boni Chriſtiani, aliter mali Chriſtiani. Magi per privatos contractus, boni Chriſtiani per publicam juſtitiam, mali Chriſtiani per ſigna publicæ juſtitiæ.

Vt mali bonis ſæpe temporaliter noceant, poteſtatem in eos accipientes, ad majorem fit bonorum utilitatem propter exercitationem patientiæ.

Quemadmodum nos non voluntate morimur, ſic & non voluntate naſcimur. *Queſt. 80.*

Omnis ſapientiæ diſciplina, quæ ad erudiendos homines pertinet, eſt creatorem creaturamque dignoſcere, & illum colere dominantem, iſtam ſubjectam fateri. *Queſt. 81.*

Quoniam ſic eſt in animo beatitudo, ut in corpore ſanitas, quemadmodum in ipſo corpore alia præcipitur medicina, ne bona valetudo amittatur, alia vero ut amiſſa *Queſt. 82.*

recuperetur; sic in toto statu hominis alia tunc præcepta data sunt ne amitteret immortalitatem, alia nunc præcipiuntur ut eam recipiat. Et sicut in valetudine corporis, si quis præceptis Medici, quibus eadem bona valetudo custodienda est, non obtemperando in aliquem morbum inciderit, accipit alia præcepta ut sanari possit: quæ sæpe non sufficiunt si talis est morbus, nisi adhibeantur à Medico quædam adjutoria plerumque aspera & dolores importantia, quæ tamen valent ad recuperandam salutem: unde fit ut homo, quamvis jam obtemperans Medico, patiatur tamen adhuc dolores non solum de ipso morbo nondum sanato, verum etiam de adjutorio medicinæ: ita homo per peccatum lapsus in hujus vitæ morbidam & calamitosam mortalitatem, quia primo præcepto obtemperare noluit, quo sempiternam custodiret ac teneret salutem, secunda præcepta æger accepit,

quibus obtemperans jam quidem non absurde dicitur juste vivere, sed tamen molestias quas patitur, vel de ipso morbo nondum sanato patitur, vel de adjutorio medicinæ. Cui adjutorio deputatur, quod scriptum est: *Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Hebr. 12. Qui vero non obtemperantes præceptis saluberrimis inique vivunt, augent etiam atque etiam morbos suos: & aut ex ipsis patiuntur innumerabiles miseriarum labores doloresque etiam in hac vita: aut pœnis quoque adhibitis, ut quod sanum non est, tangatur & doleat, in quo malo sint misericorditer admonentur: ut ad medicinam conversi per gratiam Dei sani fiant.

Vocantis est gratia, percipientis vero gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim ut ferveat calefacit ignis, sed quia fervet: Nec ideo *Ad Simplicianum lib. 1. Quæst. 2.*

recuperetur; sic in toto statu hominis alia tunc præcepta data sunt ne amitteret immortalitatem, alia nunc præcipiuntur ut eam recipiat. Et sicut in valetudine corporis, si quis præceptis Medici, quibus eadem bona valetudo custodienda est, non obtemperando in aliquem morbum inciderit, accipit alia præcepta ut sanari possit: quæ sæpe non sufficiunt si talis est morbus, nisi adhibeantur à Medico quædam adjutoria plerumque aspera & dolores importantia, quæ tamen valent ad recuperandam salutem: unde fit ut homo, quamvis jam obtemperans Medico, patiatur tamen adhuc dolores non solum de ipso morbo nondum sanato, verum etiam de adjutorio medicinæ: ita homo per peccatum lapsus in hujus vitæ morbidam & calamitosam mortalitatem, quia primo præcepto obtemperare noluit, quo sempiternam custodiret ac teneret salutem, secunda præcepta æger accepit,

quibus obtemperans jam quidem non absurde dicitur juste vivere, sed tamen molestias quas patitur, vel de ipso morbo nondum sanato patitur, vel de adjutorio medicinæ. Cui adjutorio deputatur, quod scriptum est: *Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit.* Hebr. 12. Qui vero non obtemperantes præceptis saluberrimis inique vivunt, augent etiam atque etiam morbos suos: & aut ex ipsis patiuntur innumerabiles miseriarum labores doloresque etiam in hac vita: aut pœnis quoque adhibitis, ut quod sanum non est, tangatur & doleat, in quo malo sint misericorditer admonentur: ut ad medicinam conversi per gratiam Dei sani fiant.

Vocantis est gratia, percipientis vero gratiam consequenter sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur. Non enim ut ferveat calefacit ignis, sed quia fervet: Nec ideo *Ad Simplicianum lib. 1. Quæst. 2.*

bene currit rota, ut rotunda fit; sed quia rotunda est. Sic nemo propterea bene operatur ut accipiat gratiam, sed quia accepit. Quomodo enim potest juste vivere qui non fuerit vivificatus? Vel omnino vivere qui non fuerit vivificatus? Justificat autem gratia, ut justificatus possit vivere juste. Prima est igitur gratia, secunda operatio bona.

Misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur.

Quæst. 1. Utitur Deus ministris etiam spiritibus malis ad vindictam malorum, vel ad bonorum probationem, alio modo ad illam rem, alio ad istam.

Sicut non est mala voluntas à Deo, sic *non est potestas nisi à Deo.* *Rom 13.*

Quæst. 41. Non (est) præscriptum quomodo corpus constituatur ad orandum, dummodo animus Deo præsens peragat intentionem suam. Nam & stantes oramus sicut scri-

ptum est: *Publicanus autem de longinquo stabat:* Et fixis genibus, sicut in Actibus Apostolorum legimus: Et sedentes, sicut David & Helias. Nisi autem etiam jacentes oraremus, non scriptum esset in Psalmis: *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

Luc. 18.
Act. 7.
2. Reg. 7.
3. Reg. 18.
Ps. 6.

Cum quisque orationem quærit, collocat membra sicut ei occurrerit, accommodata pro tempore positi corporis ad movendum animum. Cum autem non quæritur, sed infertur apperitus orandi: hoc est, cum aliquid venit in mente n quo supplicandi moveatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocumque modo invenerit hominem, non est utique differenda oratio ut quæramus, quo sedeamus, aut ubi stemus, aut ubi prosternamur. Gignit enim si mentis intentio solitudinem, & æpe etiam obliviscitur se vel ad uam cæli partem, vel in qua potione corporis membra illud tems invenerit.

al. sedamus.

Lib. de 8. Dulcitij qu. Qu. 1. Sine dolore non pereunt quæ cum amore possessa sunt.

* Plus amo discere quàm docere.

** Qu. 3.* Ut discamus, invitare nos debet suavitas veritatis: ut autem doceamus, cogere necessitas charitatis.

Quæst. 6 Solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines sunt.

De cura pro mortuis gerenda lib. cap. 1 Genere vitæ quod gessit quisque per corpus, efficitur ut prosint vel non prosint quæcumque: pro illo pie fiunt, cum reliquerit corpus: nam meritum per quod ista prosint, si nullum comparatum est in hac vita, frustra quæritur per hanc vitam.

1. Mach. 12. In Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis sacrificium. Sed etsi nusquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva tamen est universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas: ubi in precibus Sacerdotis quæ Domino Deo ad ejus Altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio mortuorum.

Curatio

Curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis vivorum solatia sunt quàm subsidia mortuorum. cap. 2.

Pro certo cum Mediolani essemus, audivimus quod cum debitum repeteretur à quodam, defuncti patris cautione prolata, quod filio nesciente à patre jam fuerat persolutum, contristari homo gravissime cœpit atque mirari quod ei pater moriens non dixerit quid deberet, cum feciſſet etiam testamentum. Tunc ei nimis anxio apparuit idem pater ejus in somnis, & ubi esset repositum quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit. Quo invento juvenis atque monstrato, non solum falsi debiti calumniam propulsavit, sed etiam paternum recepit chirographum, quod pater non receperat, quando est persoluta pecunia. cap. 18.

Corpori humando quicquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium, secundum affectum quo nemo un- cap. 17.

quam carnem suam odio habuit?

De catechizandis rudibus lib. cap. 2.

Mihi prope sermo meus displicet: melioris enim avidus sum, quo sæpe fruor interius, antequam eum explicare verbis sonantibus cœpero, quod ubi minus quàm mihi notus est evaluero, contristor linguam meam non * posse sufficere: totum enim quod intelligo, volo ut qui me audit intelligat, & sentio me non ita loqui ut hoc efficiam, maxime quia ille intellectus quasi rapida coruscatione perfundit animum: illa autem locutio tarda & longa est, longéque dissimilis: & dum ista volvitur, iam se ille in secreta sua condidit.

potuisse.

cap. 4.

Nulla est maior ad amorem invitatio, quàm prævenire amando: & nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere.

Ibi gratior amor est, ubi non æstuat indigentiæ siccitate, sed ubertate beneficentiæ profluit.

In veteri Testamento est occultatio novi, in novo Testamento

est manifestatio veteris.

Longe consultius in quibusdam Ecclesiis transmarinis non solum Antistites sedentes loquuntur ad populum, sed ipsi etiam populo sedilia subiacent, ne quisquam infirmior stando lassatus à saluberrima intentione avertatur, aut etiam cogatur abscedere: quis enim ferat arrogantiam nostram, cum viros fratres nostros, vel etiam quod maiore sollicitudine curandum est, ut sint fratres nostri, coram nobis sedere non facimus, & ipsum Dominum nostrum, cui assistunt Angeli sedens mulier audiebat? *cap. 13.*

Nemo melius ordinat quid agat, nisi qui paratior est non agere quod divina potestate prohibetur, quàm cupidior agere quod humana cogitatione meditatur. *cap. 14.*

Omnia bona terrena contempsit homo factus Dominus Christus, ut contemnenda monstraret: & omnia mala sustinuit, quæ sustinenda præcipiebat: ut neque in illis *cap. 22.*

quæreretur felicitas, neque in istis infelicitas timeretur.

cap. 25. Fuge, frater, illa tormenta ubi nec tortores deficiunt, nec torti moriuntur, quibus sine fine mors est non posse cruciatibus mori.

Securus es de Deo quod non mutatur: de homine autem nemo prudenter securus est.

Si illos qui nondum justi sunt amare debemus ut sint, quanto ardentius qui iam sunt amare debemus?

cap. 27. Homines bonos imitare, malos tolera, omnes ama, quoniam nescis quid cras futurus sit qui hodie malus est.

De Continentia lib. cap. 6. Nullus debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque, etsi longe minorem quàm debeat, solverit pœnam: atque ita impartitur largitas misericordiæ, ut non relinquatur etiam iustitia disciplinæ: nam & peccatum quod inultum videtur, habet pediſſequam pœnam suam, ut nemo de admisso nisi aut amaritudine do-

leat, aut cæcitate non doleat.

Tanta est omnipotens (Dei) bonitas, ut etiam de malis possit facere bona, sive ignoscendo, sive sanando, sive ad utilitates piorum coaptando atque vertendo, sive etiam justissime vindicando: omnia namque ista bona sunt, & Deo bono atque omnipotenti dignissima, nec tamen fiunt nisi de malis. *ejus.*

(Apostolus) ait: *Ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.* Audiant qui aures habent. Igitur ipse ego, ego mente, ego carne, sed mente servio legi Dei, carne autem legi peccati? Quomodo carne legi peccati? Nunquid concupiscentiæ consentiendo carnali? Absit. Sed motus desideriorum illos habendo quos habere nolebat, & tamen habebat. Sed eis non consentiendo mente serviebat legi Dei, & tenebat membra ne fierent arma peccati. Sunt ergo in nobis desideria mala, quibus non consentiendo non vivimus male: sunt in nobis concupis- *cap. 8. Rom. 7.*

centiæ peccatorum, quibus non obediendo non perficimus malum, sed eàs habendo nondum perficimus bonum. Utrumque ostendit Apostolus, nec bonum hîc perfici, ubi malum concupiscitur: nec malum hîc perfici, quando tali concupiscentiæ non obeditur. Illud quippe ostendit, ubi ait: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non.* Hoc vero ubi ait: *Spiritu ambulate, & desideria carnis ne perfeceritis.* Neque enim ibi dicit, non sibi adjacere facere bonum, sed perficere: neque hîc dicit: Concupiscentias carnis ne habueritis; sed, ne perfeceritis. Fiunt itaque in nobis concupiscentiæ malæ, quando id quod non licet libet; sed non perficiuntur, cum legi Dei mente serviente libidines continentur. Et bonum fit, cum id quod male libet, vincente bona delectatione non fit, sed boni perfectio non impletur, quamdiu legi peccati in carne serviente libido illicit: & quamvis contineatur, tamen

movetur: non enim opus esset ut contineretur, nisi moveretur. Erit quandoque etiam perfectio boni, quando erit consumptio mali: illud erit summum, hoc erit nullum. Quod si in ista mortalitate sperandum putamus, fallimur. tunc enim erit quando mors non erit, & ibi erit ubi vita æterna erit: in illo enim seculo & in illo regno erit summum bonum, malum nullum: quando erit & ubi erit sapientiæ amor summus, continentiæ labor nullus.

Quidam, quod mirum dictu videri potest. per incontinentiam se continent: velut si se mulier contineat à marito, quia hoc iuravit adultero. *cap. 12.*

Quamvis Deus nihil pati possit, patientia vero à patiendo nomen acceperit, patientem tamen Deum non modo fideliter credimus, verum etiam salubriter confitemur. *De Patientia. l. cap. 1.*

Impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt ut à malis eruantur, sed ut mala graviora patiantur. *cap. 2.*

cap. 4. Vis desideriorum facit tolerantiam laborum & dolorum.

Nemo nisi pro eo quod delectat sponte suscipit quod cruciat.

cap. 9. Oportet patienter ferri, quod festinanter non oportet auferri.

cap. 20. Gratia non solum adjuvat justum, verum etiam justificat impium: & ideo etiam cum adjuvat justum, & videtur ejus meritis reddi, nec sic desinit esse gratia, quoniam id adjuvat quod ipsa est largita.

cap. 22. Medicus bonus ægrotum & odit & diligit: odit enim quia ægrotat, qui diligit ita ut ægritudinem pellat.

cap. 26. Sicut charitas sancte amantium, ita patientia pie tolerantium Dei donum est.

De bono viduitatis lib. cap. 8. Nuptiarum bonum semper est quidem bonum; sed in populo Dei fuit aliquando legis obsequium, nunc est infirmitatis remedium, in quibusdam vero humanitatis solatium.

cap. 11. Cum quisque non reddit quod non

non imperio compulsus, sed consilio commonitus vovit: tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vovendi necessitatem.

Illa sancta Virgo quam Christo volentem & petentem obtulistis, viduálibus aviæ matrisque meritis addidit aliquid de merito virginali: non enim nihil inde habetis, quæ hanc habetis: & in illa estis, quod in vobis non estis. Nam ut sancta virginitas adimeretur nubentibus vobis, ideo factum est ut nasceretur ex vobis. *cap. 14. Iulianam hic alloquitur Aug.*

Nemo vult esse phreneticus, etiamsi videat phrenetici vires viribus sanorum esse fortiores. *cap. 15.*

Nostrum est velle, sed voluntas ipsa monetur ut surgat, & sanatur ut valeat, & dilatatur ut capiat, & impletur ut habeat. *cap. 17.*

Placete illi qui displicuit mundo, ut placentes ei liberarentur ex mundo. *cap. 19.*

Plus ardente ferunt libidinem: quæ non desperant ejus voluptа- *cap. 20.*

tem. Quæ autem innuptarum castitatem Deo vovent, ipsam spem subtrahunt, quæ fomes amoris est.

cap. 22. Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.

Quod aliis ministramus misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatem.

De Sermone Domini in monte. l. 1. cap. 3 Est justum consilium, ut qui se à potentiori adjuvari vult, adjuvet & infirmiorem in quo est ipse potentior.

a cap. 5. Rom. 1. Ubi sana fides non est, non potest esse justitia, quia *justus ex fide vivit.*

cap. 12. Facilius custodit ne mœchetur in corpore, quisquis non mœchatur in corde.

Tria sunt quibus impletur peccatum, suggestione, delectatione, consensione.

cap. 14. Beatoria sane conjugia judicanda sunt, quæ sive filijs procreatis, sive etiam ista terrenam prole contempta, continentiam inter se pari consensu servare potuerint: quia neque contra illud præce-

ptum fit, quo Dominus dimitti conjugem vetat: non enim dimittit qui cum ea non carnaliter sed spiritualiter vivit: & illud servatur quod per Apostolum dicitur: *Reliquum est ut qui habent uxores, quasi non habentes sint.*

Odimus sane dubio quod certe ut aliquando non sit optamus: sicut istam ipsam præsentis temporis vitam, quam temporalem si non odissemus, non desideraremus futuram, quæ non est tempori obnoxia. cap. 15.

Quisquis fornicationis causa vult abjicere uxorem, prior debet esse à fornicatione purgatus. cap. 16.

Nemo novit nisi qui expertus est, quàm sit difficile & consuetudinem jurandi extinguere, & nunquam temere facere quod nõnunquam facere necessitas cogit. cap. 17.

Non christianum oportet sic possidere servum quomodo equum aut argentum. cap. 19.

Omnia in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo ge- cap. 20.

nera dividuntur, quorum alterum est quod restitui non potest, alterum quod potest. Sed in illo quod restitui non potest, vindictæ solatium quæri solet. Quid enim prodest quod percussus repercutis? Nunquid propterea aliquid quod in corpore læsum est, restituetur in integrum? Sed tumidus animus talia fomenta desiderat. Aliud injuriarum genus, quod in integrum restitui potest. Cujus duæ species, una ad pecuniam, altera ad operam pertinet.

Matth. 5. *Omni petenti te da:* Omni petenti, inquit, non omnia petenti, ut id des quod dare honeste & iuste potes. Quid si enim pecuniam petat, qua innocentem conetur opprimere? Quid si postremo stuprum petat? Sed ne multa persequar, quæ sunt innumerabilia, id profecto dandum est quod nec tibi nec alteri noceat, quantum dici aut credi ab homine potest: & cui iuste negaveris quod petit, indicanda est ipsa iustitia, ut non eum

inanem dimittas. Ita omni petenti te dabis, quamvis non semper id quod petit dabis, sed aliquando melius aliquid dabis, cum petentem iniuste correxeris.

Si inter quos vivis, te recte viventem non laudaverint, illi in errore sunt: si autem laudaverint, tu in periculo. *lib. 2. cap. 1.*

Multa sunt dicta in laudem Dei, quæ per omnes sanctas Scripturas varie latéque diffusa poterit quisque considerare cum legit: nusquam tamen invenitur præceptum populo Israël ut diceret, *Pater noster*, aut oraret Patrem Deum: sed Dominus eis insinuatus est, tanquam servientibus, ideſt, secundum carnem adhuc viventibus. Hoc autem dico cum mandata legis acciperent, quæ obseruare iubebantur. Nam Prophetæ sæpe ostendunt eum Dominum Deum etiam Patrem eorumdem esse potuisse, si ab eius mandatis non aberrarent: sicut est illud: *Filios genui & exaltavi, ipsi autem spre-* *cap. 4.* *Esay. 1.*

Psal. 81. *verunt me.* Et illud: *Ego dixi Dij estis & filij excelsi omnes:* Et illud: Malac. 1. *Si Dominus sum, ubi est timor meus? Et si pater sum, ubi est honor meus.* Et alia permulta, ubi arguuntur Judæi quia filij esse peccando noluerunt: exceptis eis quæ in prophetia dicuntur de futuro populo Christiano, qui Patrem Deum esset habiturus, secundum illud Evangelium: *Dedit eis* Ioan. 1. *potestatem filios Dei fieri.*

Quoniam quod vocamur ad æternam hæreditatem ut simus Christi cohæredes, & in adoptionem filiorum veniamus, non est meritorum nostrorum, sed gratiæ Dei, eamdem ipsam gratiam in orationis principio ponimus, cum dicimus *Pater noster.* Quo nomine & charitas excitatur: quid enim charius filijs debet esse quàm pater? Supplex affectus cum homines dicunt Deo *Pater noster*, & quædam impetrandi præsumptio quæ petituri sumus, cum priusquàm aliquid peteremus, tam ma-

gnum donum accepimus, ut ſinamur dicere *Paternoſter* Deo. Quid enim jam non det filijs petentibus, cum hoc ipſum ante dederit ut filii eſſent. Poſtremo quanta cura animum tangit, ut qui dicit *Pater noſter*, tanto patre non ſit indignus. Si enim quiſqam plebeius Senatorem grandioris ætatis ab eo ipſo patrem vocare permittetur, ſine dubio trepidabit, nec facile audebit cogitans humilitatem generis ſui & opum indigentiam, & & plebeiæ perſonæ vilitatem. Quanto ergo magis trepidandum eſt appellare Patrem Deum, ſi tantæ ſunt labes tantæque ſordes in moribus ut multo juſtius eas à ſua coniunctione Deus expellat quàm ille Senator cuiuſvis mendici egeſtatem. Quandoquidem ille hoc contemnit in mendico quo & ipſe poteſt rerum humanarum fragilitate devenire. Deus autem in ſordidos mores nunquam cadit, & gratias miſericordiæ ipſius qui hoc à nobis exigit ut Pater noſter

sit, quod nullo sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest. Admonentur etiam hîc divites vel genere nobiles secundum seculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire adversus pauperes & ignobiles, quoniam simul dicunt Deo *Pater noster:* quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant.

cap. 9. Nemo frangitur adversarum rerum molestia, qui prosperarum delectatione non capitur.

cap. 13. Sordescit aliquid cum inferiori miscetur naturæ, quamvis in suo genere non sordidæ.

Totum mundum debet contemnere, qui sibi thesaurizat in cælo.

Non quid quisque faciat, sed quo animo faciat considerandum est.

cap. 17. (Sicut) non omnes propter salutem reipublicæ militant, sed propter illa quæ accipiunt: sic & non omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter

hæc temporalia quæ tanquam anno nam & stipendia consequantur, aut propter hoc & propter illud.

Sunt quædam facta media quæ cap. 18. ignoramus quo animo fiant, quia & bono & malo fieri possunt, de quibus temerarium est iudicare, maxime ut condemnemus.

Duo sunt in quibus temerarium judicium cavere debemus: cum incertum est quo animo factum fuerit quidque: vel cum incertum sit qualis futurus sit qui nunc vel bonus vel malus apparet.

Non reprehendamus ea quæ nescimus quo animo fiant: neque ita reprehendamus, quæ manifesta sunt ut desperemus sanitatem, & vitabimus judicium de quo dicitur: *Nolite judicare, ne judicemini de vobis.* Matth. 7.

Pie cautéque vigilandum est, cap. 19. ut cum aliquem reprehendere vel objurgare necessitas coëgerit, primum cogitemus utrum tale sit vitium quod nunquam habuimus, vel quo jam caruimus. Et si num-

arbor, malos fructus facit. Matth. 7. Rectissime sane quæritur quos fructus nos attendere voluerit (ipse Dominus) quibus cognoscere arborem possimus. Multi enim quædam in fructibus deputant, quæ ad vestitum ovium pertinent, & hoc modo à lupis decipiuntur: sicuti sunt vel jejunia, vel orationes, vel eleemosynæ: quæ omnia nisi fieri etiam ab hypocritis possent, non superius diceret: *Cavete justitiam vestram facere coram hominibus, ut videamini ab eis.* Qua sententia præposita, ipse tria exequitur, eleemosynam, orationem jejunium; Multi enim multa pauperibus, non misericordia sed ambitione largiuntur. Et multi orant, vel potius videntur orare, non intuentes Deum, sed hominibus placere cupientes. Et multi jejunant, & mirabilem abstinentiam prætendunt eis quibus ista difficilia videntur, & honore digna existimantur: & hujusmodi dolis eos capiunt, dum aliud

tentant ad decipiendum, aliud exerunt ad deprædandum, vel interficiendum eos qui sub vestitu ovino lupos videre non possunt. Hi ergo non sunt fructus de quibus cognosci arborem monet. Ista enim cum bono animo in veritate fiunt, propriæ sunt ovibus vestes: cum autem malo in errore, non aliud quam lupos tegunt. Sed non ideo debent oves odisse vestimentum suum, quia plerumque illo se occultant lupi. Qui sunt ergo fructus quibus inventis agnoscamus arborem malam, dicit Apostolus:

Galat. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicationes, immunditiæ, luxuriæ, idolorum servitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, hæreses, invidiæ, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Et qui sunt fructus per quos cognoscimus arborem bonam, idem ipse Aposto-

lus consequenter dicit : *Fructus autem Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia.*

Justitiæ divinæ tanta constantia est, ut cum pœna spiritualis & sempiterna pœnitenti fuerit relaxata, pressuræ tamen cruciatusque corporales, quibus etiam Martyres exercitatos novimus, postremo mors ipsa, quam peccando meruit nostra natura, nulli relaxetur. *Lib. Expositionis Epist. ad Rom. inchoata.*

Augetur prohibitione concupiscentia, quando deest gratia liberantis. *Lib. Expositionis quarundam propositionum ex Epist ad Rom.*

Id egit mors Domini, ne mors timeretur, & ex eo iam non appeterentur temporalia bona, nec meruerentur temporalia mala.

Definitio prudentiæ in appetendis bonis & vitandis malis explicari solet. Quapropter recte appellat Apostolus carnis prudentiam, qua hæc appetuntur pro magnis bonis quæ non perseve- *6 Prop. 48. Prop. 49.*

rant cum homine, & ne hæc amittantur timetut, quæ quandoque amittenda sunt.

Eadem animæ natura & prudentiam carnis habet, cum inferiora sectatur: & prudentiam spiritus, cum superiora eligit.

Prop. 54 Rom. 16 *Nos quid oremus, sicut oportet, nescimus:* duas ob res, quod & illud quod futurum speramus, & quo tendimus, nec dum apparet: & in hoc ipsa vita multa possunt nobis prospera videri quæ adversa sunt, & adversa quæ prospera.

Prop. 56. Multi non veniunt, cum vocati fuerint: nemo autem venit, qui vocatus non fuerit.

Prop. 62. Neque velle possumus, nisi vocemur: & cum post vocationem voluerimus, non sufficit voluntas nostra, & cursus noster nisi Deus & vires currentibus præbeat, & perducat quo vocat.

Lib. expositionis Ep. ad Gal. Facilius est videre quid in alio corrigas, atque id vituperando vel objurgando corrigere, quàm videre quid in te corrigendum sit,

libenterque corrigi, vel per teipſum, ne dum per alium, adde poſteriorem, adde coram omnibus.

Humilitate conſervatur charitas.

Ipſa humilitas eſt accommodata percipiendæ gratiæ Chriſti, qui ſingulare humilitatis exemplum eſt.

Nulla creatura eſt, quæ non, velit, nolit, divinæ providentiæ ſerviat, ſed volens facit cum de ea quod bonum eſt fit: de illa vero quæ hoc non vult, fit quod juſtum eſt.

Formatur Chriſtus in eo qui formam accepit Chriſti: formam autem accipit Chriſti, qui adhæret Chriſto dilectione ſpiritali. Exhoc enim fit, ut hujus imitatione ſit quod ille, quantum gradu ſuo finitur.

Quod amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.

Quid tam legitime ad ſpiritalem fœcunditatem conjungitur, quàm anima Deo?

Nihil sic probat spiritalem virum quàm peccati alieni tractatio, cum liberationem ejus potius quàm insultationem, potiusque auxilia, quàm convicia meditatur, & quantum facultas tribuitur, suscipit.

Nihil ad misericordiam sic inclinat, quàm proprij periculi cogitatio.

Neque omnino ullum medicamentum sanat, nisi quod opportune adhibueris.

Nunquam alieni peccati objurgandi suscipiendum est negotium, nisi cum internis interrogationibus examinantes nostram conscientiam, liquido nobis coram Deo respondemus, dilectione nos facere.

Quicquid lacerato animo dixeris, punientis est impetus, non charitas corrigentis. Dilige, & dic quod voles: nullo modo maledictum erit quod specie maledicti sonuerit, si memineris senserisque te in gladio verbi Dei, liberatorem

rem hominis esse velle ab obsidione vitiorum.

Patientia Dei ad pœnitentiam invitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. *De civitate Dei lib. 1. cap. 8.*

Bonis temporalibus nec bonus extollitur, nec malis frangitur.

Malus ideo infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur.

Si nunc omne peccatum manifestâ plecteretur pœna, nihil ultimo judicio reservari putaretur. Rursus, si nullum peccatum nunc puniret aperte divinitas, nulla esse providentia divina crederetur.

In rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus. Itemque si omnibus eas petentibus daret, non nisi propter talia præmia serviendum illi esse arbitraremur, nec pios nos faceret talis servitus, sed potius cupidos & avaros.

In eadem afflictione mali Deum detestantur, atque blasphemant;

boni autem precantur & laudant. Tantum interest non qualia, sed qualis quisque patiatur.

cap. 9. Habent aliqnam causam boni quare temporalibus affligantur malis, qualem habuit Job: ut sibi ipse humanus animus sit probatus & cognitus, quanta virtute pietatis gratis Deum diligat.

cap. 11. Mala mors putanda non est, quam bona vita præcesserit: neque enim facit malam mortem nisi quod sequitur mortem.

Non multum curandum est eis, qui necessario morituri sunt, quid accidat ut moriantur, sed moriendo quo ire cogantur.

cap. 14. Multi, inquiunt, Christiani etiam captivi ducti sunt. Hoc sane miserrimum est, si aliquo duci potuerunt, ubi Deum suum non invenerunt.

cap. 26. Hoc docuimus, hoc asserimus, hoc modis omnibus approbamus neminem spontaneam mortem sibi inferre debere, velut fugiendo molestias temporales, ne incidat

in perpetuas. Neminem propter aliena peccata ne hoc ipso incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum. Neminem propter ſua peccata præterita, propterquæ magis hac vita opus eſt, ut poſſint pœnitendo ſanari. Neminem velut deſiderio vitæ melioris, quæ poſt mortem ſperatur, quia reos ſuæ mortis, melior poſt mortem vita non ſuſcipit.

Permitit (Deus) quod nemo impune comittit. *cap. 28.*

Habet quiddam erga Parentes humana verecundia, quod nec ipſa nequitia poſſit auferre. *l. 2. c. 4.*

Ipſa miſericordia, ſi homini ſubvenitur, ſi propter Deum non ſit, non eſt ſacrificium. *lib. 10. cap. 6.*

Ipſe homo Dei nomini conſecratus & Deo devotus, in quantum mundo moritur ut Deo viuat, ſacrificium eſt.

Tam nemo eſt qui eſſe ſe nolit, quam nemo eſt, qui non beatus eſſe velit. *lib. 11. cap. 26.*

cap. 27. Ita vi quadam naturali ipsum esse jucundum est, ut non ob aliud & hi qui miseri sunt, nolint interire. Et cum se miseros esse sentiant, non seipsos de rebus, sed miseriam suam potius auferri velint.

cap. 28. Neque vir bonus merito dicitur, qui scit quod bonum est, sed qui diligit.

Est & amor quo amatur, quod amandum non est: & istum amorem odit in se, qui illum diligit, quo id amatur quod amandum est.

lib. 12. cap. 8. Neque auri vitium est avaritia, vel cupiditas, sed hominis perverse amantis aurum, justitia derelicta, quæ incomparabiliter auro debuit anteponi. Nec superbia vitium est dantis potestatem, vel ipsius etiam potestatis, sed animæ perversæ amantis potestatem suam, potentioris justitia contempta. Nec luxuria est vitium pulcrorum suaviumque corporum, sed animæ perverse amantis corporeas voluptates, neglecta temperantia, qua rebus spiritalibus

pulcrioribus & incorruptibiliter suavioribus coaptamur.

Qui perverse amat cujuslibet naturæ bonum, etiamsi adipiscatur, ipse fit in bono malus; & miser meliore privatus.

Mors animæ fit, cum eam deserit Deus: sicut corporis, cum id deserit anima. *lib. 13. cap. 2.*

Totius hominis mors est, cum anima à Deo deserta deserit corpus.

(Apud inferos) nec vivere corpus dicendum est; in quo anima non vivendi causa est, sed dolendi.

In damnatione novissima quamvis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse nec voluptate suavis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immerito mors est potius appellata, quàm vita.

Majore & mirabiliore gratia Salvatoris, in usus justitiæ peccati pœna conversa est. *cap. 4.*

Per ineffabilem Dei misericor-

diam & ipsa pœna viciorum transit in arma virtutis, & fit justi meritũ, etiam supplicium peccatoris.

Non mors bonum aliquod facta est, quæ antea malum fuit, sed tantam Deus fidei præstitit gratiarum ut mors quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur in vitam.

cap. 5. Lex non est malum quando auget peccantium concupiscentiam. Lex quidem bona est, quia prohibitio est peccati.

cap. 8. Etiam cum quisque pro veritate fideliter & laudabiliter moritur, mors cavetur.

cap. 10. Nunquam in vita homõ est, ex quo est in corpore isto moriente potius quàm vivente. Et in vita & in morte simul est: in vita scilicet in qua vivit, donec tota detrahatur. In morte autem, quia jam moritur, cui vita detrahitur.

cap. 20. (Sancti) Resurrectionis corporum, in quibus multa dura perpessi sunt, nihil in eis vlterius tale sensuri desiderabiliter & pa-

tienter expectant. Si enim carnem suam non oderant quando eam suæ menti infirmitati resistentem, spiritali jure coërcebant, quanto magis eam diligunt etiam ipsam spiritalem futuram.

Sicut spiritus carni serviens non incongrue carnalis, ita caro spiritui serviens recte appellatur spiritalis, non quia in spiritum convertetur; sed quia spiritui summa & mirabili obtemperandi facilitate subdetur, usque adimplendam immortalitatis indissolubilis securiosissimam voluntatem, omni molestiæ sensu, omni corruptibilitate, & tarditate detracta. Non solum enim, non erit tale quale nunc est in quavis optima valetudine, sed nec tale quidem, quale fuit in primis hominibus ante peccatum. Qui licet morituri non esse ntnisi peccassent, alimentis, tamen ut homines utebantur, nondum spiritalia sed adhuc animalia corpora terrena gestantes.

Corpora sanctorum quæ in resur-

rectione futura sunt, neque vllo ligno indigebunt, quo fiat ut nullo morbo vel senectute inveterata moriantur: neque vllis alijs corporalibus alimentis, quibus esuriendi aut sitiendi qualiscumque molestia devitetur: quoniam certo & omnimodo inviolabili munere immortalitatis induentur, ut non nisi velint, possibilitate non necessitate vescantur. Non enim potestas, sed egestas edendi ac bibēdi talibus corporibus auferetur, unde & spiritalia erunt, non quia corpora esse desistent, sed quia spiritu vivificante subsistent.

lib. 14. *cap* 3. Corruptio corporis quæ aggravat animam non peccati primi est causa, sed pœna: nec caro corruptibilis animam peccatricem, sed animapeccatrix fecit esse corruptibilem carnem. Ex qua corruptione carnis licet existant quædam incitamenta vitiorum, & ipsa desideria vitiosa; non tamen omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda sunt carni, ne ab his omnibus purgemus

mus Diabolum, qui non habet carnem.

Non frustra dici potest omne peccatum esse mendacium. Non enim fit peccatum nisi ea voluntate qua volumus ut bene sit nobis, vel nolumus ut male sit nobis. Ergo mendacium est quod cum fiat ut bene sit bonis, hinc potius male est nobis: vel cum fiat ut melius sit nobis, hinc potius pejus est nobis. cap. 4.

Perfectum odium debet malis, qui secundum Deum vivit, ut nec propter vitium oderit hominem, nec amet vitium propter hominem, sed oderit vitium, amet hominem. Sanato inimico totum quod amare, nihil autem quod debeat odisse, permanebit. cap. 6.

Audeo dicere superbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestumque peccatum, unde sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant. cap. 13.

Est pejor damnabiliorque superbia, qua etiam in peccatis ma- cap. 14.

nifestis suffragium excusationis inquiritur.

cap. 15. Sicut Abrahæ non immerito magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium, res difficillima imperata est: ita & in paradiso tanto major inobedientia fuit, quanto id quod præceptum est, nullius difficultatis fuit.

Dolores, qui dicuntur carnis, animæ sunt in carne, & ex carne. Quid enim caro per seipsam sine anima vel dolet vel concupiscit?

Lib. 16. cap 4. Tutam veramque in cælum viam molitur humilitas, sursum levans cor ad Dominum, non contra Dominum.

Lib. 16. cap. 32. Neque omnis culpanda est tentatio, qua & gratulanda est, qua fit probatio.

Certum est vivere omne quod dolet, doloremque omnem nisi in re vivente esse non posse.

Sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo.

Prima mors hominem nolentem pellit de corpore : secunda mors animam nolentem tenet in corpore.

Vt vrat (aër) prior uritur. *cap. 10.*

Quæ pacem felix cum Deo habere noluit (anima) secum pugnat infelix. *cap. 15.*

Melius est confligere cum vitijs, quàm cum sine vlla conflictatione dominantur.

Melius est bellum cum spe æternæ pacis, quam sine vlla liberationis cogitatione captivitas.

(Vitia) si nondum victoriarum consuetudine roborata sunt, facilius vincuntur, & cedunt : si autem vicere atque imperare consueverunt, laboriosa difficultate superantur. *cap. 16.*

Tunc victa vitia deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur.

Qui dignas pro suis peccatis eleemosynas facit, prius eas facere incipiat à seipso. Indignum est enim ut in se non faciat, qui facit in proximum. *cap. 27.*

Lib 12. cap. 1. Multa fiunt à malis quidem contra voluntatem Dei; sed tantæ est ille sapientiæ, tantæque virtutis ut in eos exitus sive fines quos bonos & justos ipse præscivit, tendant omnia quæ voluntati ejus videntur adversa.

Cum Deus mutare dicitur voluntatem, ut quibus lenis erat, verbi gratia, reddatur iratus, illi potius quàm ipse mutantur: & eum quodammodo mutatum in his quæ patiuntur inveniunt: sicut mutatur sol oculis sauciatis, & asper quodammodo ex miti & ex delectabili efficitur.

Sicut Justitia Dei non solum, qua ipse justus est dicitur, sed illa etiam quam in homine qui ab illo justificatur, facit: sic & lex ejus vocatur, quæ potius est hominum, sed ab ipso data hominibus.

cap. 8. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.

cap. 10. Nos Martyribus nostris, non

templa ſicut Dijs, ſed memorias ſicut hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus: Nec ibi erigimus altaria, inquibus ſacrificemus martyribus, ſed uni Deo & Martyrum & noſtro ſacrificium immolamus. Ad quod ſacrificium, ſicut homines Dei, qui mundum in ejus confeſſione vicerunt, ſuo loco & ordine nominantur, non tamen à Sacerdote qui ſacrificat, invocantur. Deo quippe, non ipſis ſacrificat, quamvis in memoria ſacrificet eorum, quia Dei Sacerdos eſt, non illorum. Ipſum vero ſacrificium corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi.

In reſurrectione corporis detrimenta corporis non timemus. *cap. 14.*

(Reſurgentibus) corporibus vitia detrahentur, natura ſervabitur. Non eſt autem vitium ſexus femineus, ſed natura quæ tunc quidem & à concubitu & à partu immunis erit. Erunt tamen membra feminea non accommodata *cap. 17.*

usui veteri, sed decori novo, quo non alliciatur aspicientis cōcupiscentia quæ nulla erit: sed Dei laudetur sapientia atque clementia, qui & quod non erat fecit, & liberavit à corruptione quod fecit. Mihi melius sapere videntur, qui utrumque bonum resurrecturum esse non dubitant. Non enim libido erit, quæ confusionis est causa. Nam priusquam peccassent, nudi erant, & non confundebatur vir & femina.

cap. 19. Non est macris pinguibusve metuendum ne ibi etiam tales sint, quales, si possunt, nec hîc esse voluissent.

Nulla erit deformitas quam facit incongruentia partium, ubi & quæ prava sunt corrigentur; & quod minus est quàm decet, unde Creator novit, inde supplebitur: & quod plus est quàm decet, materiæ servata integritate, detrahetur.

Ubi non est partium congruentia, aut ideo quid offendit, quia

parcum est : aut ideo , quia nimium.

Omnis corporis pulchritudo est partium congruentia, cum quadam coloris suavitate.

Nescio quo modo sic afficimur amore Martyrum beatorum , ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices quæ pro Christi nomine pertulerunt : Et fortasse videbimus. Non enim deformitas in eis , sed dignitas erit : & quædam , quamvis in corpore, non corporis , sed virtutis pulcritudo fulgebit : nec ideo tamen si aliqua martyribus amputata & ablata sunt membra, sine ipsis membris erunt in resurrectione mortuorum. *cap.* 20.

Erit spiritui subdita caro spiritalis : sed tamen caro , non spiritus : sicut carni subditus fuit spiritus ipse carnalis , sed tamen spiritus, non caro. *cap.* 21.

Labor ipse, etiam qui est utilis, pœna. *cap.* 22.

Ipsa adjumenta & medicamen-

ta tormenta sunt, ut homines à pœnarum exitio, pœnali eruantur auxilio.

cap. 23. Præter mala hujus vitæ bonis malisve communia, habent in ea justi etiam proprios quosdam labores suos, quibus adversus vitia militant.

cap. 29. *Et in carne mea videbo Deum:* non dixit per carnem meam. Quod quidem si dixisset, posset Deus Christus intelligi, qui per carnem in carne videbitur. Nunc vero potest & sic accipi: *In carne mea videbo Deum:* ac si dixisset: In carne mea ero cum videbo Deum.

Constat videri corpora spiritu. Ita Deus nobis erit notus, atque conspicuus, ut videatur spiritu à singulis nobis in singulis nobis, videatur ab altero in altero, videatur in seipso, videatur in cælo novo & in terra nova, atque in omni quæ tunc fuerit creatura: videatur & per corpora in omni corpore quocumque fuerint spiritalis corporis oculi acie perveniente directi. Patebunt etiam

cogitationes noſtræ invicem nobis.

Temere definire non audeo, quod cap. 30.
cogitare non valeo.

Verus honor, qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno: ſed nec ad eum ambiet ullus indignus, ubi nullus permittetur eſſe niſi dignus.

Vera pax ibi eſt, ubi nihil adverſi, nec à ſeipſo, nec ab alio quiſquam patietur.

Præmium virtutis erit ipſe qui virtutem dedit, & qui ſeipſum, quo melius & majus nihil poſſit eſſe, promiſit.

Ipſe finis erit deſideriorum noſtrorum, qui ſine fine videbitur, ſine faſtidio amabitur, ſine fatigatione laudabitur. Hoc munus, hic affectus, hic actus profecto erit omnibus, ſicut ipſa vita æterna, communis.

Id etiam beata civitas illa magnum in ſe bonum videbit, quod nulli ſuperiori ullus inferior invidebit, ſicut nunc non invident Ar-

changelis Angeli cæteri, tanquam nolit esse unusquisque quod non accepit, quamvis sit paratissimo concordiæ vinculo ei qui accepit obstrictus: quum nec in corpore vult oculus esse, qui est digitus: cum membrum utrumque contineat totius carnis pacata compago. Sic itaque habebit donum alius alio minus, ut hoc quoque donum habeat, ne velit amplius.

Deus natura peccare non potest: particeps Dei ab illo accipit, ut peccare non possit.

Servandi gradus erant divini muneris, ut primum daretur liberum arbitrium quo non peccare posset homo: novissimum, quo peccare non possit. Atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiendum præmium pertineret.

Sicut prima immortalitas fuit, quàm peccando Adam perdidit, posse non mori: novissima erit, non posse mori: ita primum liberum arbitrium, posse non peccare,

Sic erit inamissibilis voluntas pietatis & æquitatis, quomodo est felicitatis.

Vtique peccando nec pietatem nec felicitatem tenuimus. Voluntatem vero felicitatis nec perdita felicitate, perdidimus.

Certe Deus ipse, nunquid quia peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?

Erit illius civitatis & una in omnibus, & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata, & impleta omni bono: fluens indeficientur æternorum jocunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum, nec tamen ideo suæ liberationis oblita, ut liberatori suo sit ingrata.

Vt scientiæ malorum duæ sunt, una qua potentiam mentis non latent: altera qua experientis sensibus inhærent: ita & obliviones malorum duæ sunt: aliter ea namque obliviscitur eruditus & doctus, aliter expertus & passus. Ille, si peritiam negligat: iste, si miseria careat.

Ibi vacabimus & videbimus : videbimus & amabimus : amabimus & laudabimus : ecce quod erit in fine fine fine.

Quis alius noſter eſt finis, niſi pervenire ad regnum, cujus nullus eſt finis ?

De utilitate credēdi. lib. c. 2. Omnis ſcriptura, quæ Teſtamentum vetus vocatur, diligenter eam noſſe cupientibus, quadrifaria traditur, ſecundum hiſtoriam, ſecundum ætiologiam, ſecundum analogiam, ſecundum allegoriam. Secundum hiſtoriam ergo traditur, cum docetur quid ſcriptum, aut quid geſtum ſit, quid non geſtum, ſed tantummodo ſcriptum quaſi geſtum ſit. Secundum ætiologiam cum oſtenditur quid, qua de cauſa, vel factum vel dictum ſit. Secundum analogiam, cum demonſtratur non ſibi adverſari duo Teſtamenta vetus & novum. Secundum allegoriam, cum docetur non ad litteram eſſe accipienda quædam quæ ſcripta ſunt, ſed figurate intelligenda.

His omnibus modis Dominus noſter Ieſus Chriſtus & Apoſtoli uſi ſunt.

Tria genera ſunt erroris, quibus homines errant, cum aliquid legunt. Primum genus eſt in quo id quod falſum eſt verum putatur, cum aliud qui ſcripſit putaverit. Alterum eſt, quamvis non tam late patens, minus noxium, cum id quod falſum eſt, verum putatur, id tamen putatur, quod etiam ille qui ſcripſit putavit. Tertium eſt cum ex alieno ſcripto intelligitur aliquid veri, cum hoc ille qui ſcripſit, non intellexerit. In quo genere non parum eſt utilitatis, imo ſi diligentius conſideres, totus legendi fructus eſt integer. cap. 4.

Quis ſibi unquam libros Ariſtotelis reconditos & obſcuros ab ejus inimico exponendos putavit? cap. 6.

Animæ cauſa omnis religio. cap. 7.

Omnia divina & humana jura permittunt quærere catholicam fidem.

Intelligere ſuperflua nihil no- cap. 11.

cet, ſed fortaſſe diſcere nocuit, cum tempus neceſſarium occuparent.

Duo genera poſſunt eſſe adverſantium veritati: unum eorum qui ſcientiam tantum oppugnant, non fidem: alterum eorum qui utramque condemnant. Qui tamen utrum in rebus humanis inveniri poſſint, rurſus ignoro.

cap. 12. Quæro, ſi quod neſcitur, credendum non eſt, quomodo ſerviant parentibus liberi, eoſque mutua pietate diligant quos parentes ſuos eſſe non credant. Non enim ratione ullo pacto ſciri poteſt, ſed interpoſita matris authoritate de patre creditur, de ipſa vero matre plerumque nec matri, ſed obſtetricibus, nutricibus, famulis. Nam cui furari filius poteſt, aliuſque ſupponi, nonne poteſt decepta decipere? Credimus tamen & ſine ulla dubitatione credimus quod ſcire non poſſe confitemur. Quis enim non videat pietatem, niſi ita ſit, ſanctiſſimum

generis humani vinculum, superbissimo scelere violari? Nam quis vel insanus eum culpandum putet, qui eis officia debita impenderit quos parentes esse crediderit, etiamsi non essent? Quis contra non exterminandum judicaverit, qui veros fortasse parentes minime dilexerit, dum ne falsos diligat, metuit?

Ergo credere ante rationem, cum percipiendæ rationi non sis idoneus, & ipsa fide animum excolere excipiendis seminibus veritatis, non solum saluberrimum judico, sed tale omnino sine quo ægris animis salus redire non possit. *cap. 14.*

Sunt sordes animi, ut brevi explicem, amor quarumlibet rerum, præter animum & Deum. *cap. 16.*

Lethargici sine aliena vexatione moriuntur. Phreneticus autem multis, & eis potissimum qui volunt subvenire metuendus est. *cap. 18.*

Quamquam Dominus per servos suos regna subvertat erroris, *Contra*

Manichai quam vocant fundamenti.

ipsos tamen homines, in quantum homines sunt, emendandos esse potius, quàm perdendos jubet.

l. 1. c. 1. *cap. 4.*

Vt hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse non creditis, multa sunt alia quæ in ejus gremio me justissime teneant: Tenet consensio populorum, atque gentium, tenet authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata. Tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio sacerdotum. Tenet postremo ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere.

cap. 5.

Ego vero Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ

commoveret authoritas.

Cognitio ſummi mali ſine cognitione ſummi boni contingere homini non poteſt. *De duabus animabus contra Manichæos.*

Summus ille vitis agricola aliter parat falcem ſarmentis fructuoſis, aliter infructuoſis: tamen non parcit nec probis nec reprobis: illis purgandis, illis amputandis. *l. 1. c. 8. Contra fauſtum Manichæum.*

Nullus hominum eſt tanta juſtitia præditus, cui non ſit neceſſaria tentatio tribulationis vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem. *lib. 22. cap. 19.*

Peccatum eſt factum vel dictum vel concupitum aliquid contra æternam legem. *cap. 27.*

Lex æterna eſt ratio divina vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.

Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. *cap. 28.*

Homo, cujus propter peccatum tentatio eſt vita ſuper terram, ſubdat ſibi quod habet commune

cum bestijs : subdat Deo quod habet commune cum Angelis, donec justitia & immortalitate perfecta atque percepta, abistis exaltetur, illis æquetur.

cap. 47. Alia sunt peccata contra naturam, alia contra mores, alia contra præcepta.

cap. 53. Propter Rachel, non propter Liam servitur.

Prior est in recta hominis eruditione labor operandi quæ justa sunt; quàm voluptas intelligendi quæ vera sunt.

Prius nubit Lia, & postea Rachel.

Ad unum tendendum, sed propter hoc multa ferenda sunt.

cap. 54. Labor justorum maximum fructum habet in eis quos regno Dei generant.

cap. 58. Experimur exemplis quod intelligamus in libris.

cap. 69. Cur Saül per Samuelem correptus cum diceret etiam ipse, *Peccavi*, non meruit audire quod David, quod ei Dominus ignovisset?

Num personarum acceptio est apud Deum? Absit. Sed in simili voce, quam sensus humanus audiebat, dissimile pectus erat, quod divinus oculus discernebat.

Agricolæ plus placent agri qui spinis etiam magis eradicatis, centenum proferunt, quàm qui nullas unquam spinas habuerunt, & vix ad tricenum perveniunt.

Animæ virtutis capaces ac fertiles, præmittunt sæpe vitia, quibus hoc ipsum indicent, cui virtuti sint potissimum accommodatæ, si fuerint præceptis excultæ: sicut enim & agricolæ quam terram viderint, quamvis inutiles tamen ingentes herbas progignere, frumentis aptam esse pronuntiant: & ubi felicem aspexerint, licet eradicandam sciant, validis vitibus habilem intelligunt: & quem montem oleastris sylvescere aspexerint, oleis esse utilem, cultura accedente, non dubitant: sic ille animi motus, quo Moyses peregrinum fratrem à cive improbo injuriam perpetien- *cap. 70.*

tem, non obſervato ordine poteſtatis, inultum eſſe non pertulit, non virtutum fructibus inutilis erat; ſed adhuc incultus, vitioſa quidem magnæ fertilitatis ſigna fundebat.

Rom. 13 *Non eſt poteſtas niſi à Deo*, ſive jubente, ſive ſinente.

cap. 78. Propter Deum amat amicum, qui Dei amorem amat in amico.

Sive iniquitas, ſive juſtitia, niſi eſſet in voluntate, non eſſet in poteſtate. Porro ſi in poteſtate non eſſet, nullum præmium, nulla pœna juſta eſſet: quod nemo ſapit, niſi qui deſipit.

cap. 84. In malo prior eſt qui nocet, quàm ille qui non prodeſt.

cap. 96. Quid utilius atque ſalubrius pie legentibus vel audientibus illas ſacras Litteras, conſuli ac proſpici potuit, quàm ut non ſolum in eis laudabiles homines ad imitandum, & reprehenſibiles ad cavendum proponerentur, verum etiam quædam bonorum declinationes & lapſus in malum, ſive itidem de-

nuo correcti in viam redeant, sive irrevocabiles maneant: & rursus quædam malorum mutationes & provectus in bonum, sive perseveraturi, sive in pristina iterum relapsuri; ut neque justi in superbiam securitate extollantur, nec iniqui contra medicinam desperatione obdurentur.

Nunquidnam si quisquam legens factum David, cuius eum Domino arguente ac minante pœnituit, inde sibi ad peccandum fomitem præbeat, illa Scriptura culpanda est, ac non tanto severius ille damnandus, quanto potius ad se vulnerandum aut occidendum abuti voluit ea re, quæ ad sanandum liberandumque conscripta est: quia enim homines in peccatum lapsi, vel superbia negligunt pœnitentiæ medicinam, vel recipiendæ salutis veniæque promerendæ diffidentia penitus pereunt, de tanto viro exemplum propositum est quo sanentur, non quo hi qui sani sunt saucientur. Neque enim medicinæ cap 97.

vitium est, si vel insani seipsos, vel maligni alios ferramentis medicinalibus perimant.

Lib. 26. cap. 6. Nemo pius, nisi qui credit: impius nemo, nisi qui non credit.

cap. 7. Evangelij fidem omnibus hæreticorum disputationibus anteponimus.

Lib. 32. cap. 14. Sicut æger non debet reprehendere medicinalem doctrinam, si aliud illi hodie præceperit, aliud cras, prohibens etiam quod ante præceperat; sic enim se habet sanandi eius corporis ratio: ita genus humanum ab Adam usque in finem seculi, quandiu corpus quod corrumpitur aggravat animam, ægrum atque saucium non debet divinam reprehendere medicinam, si in quibusdam hoc idem, in quibusdam vero aliud prius, aliud posterius, observandum esse præcepit, præsertim quia se aliud præceptura promisit.

Lib. 33. cap. 7. Quicumque ad potentium quodammodo inaccessibiles animos sive per seipsos sive per alios am-

bitionis arte pertingunt, iam etiam vulgo perventores vocantur.

(Christus) susciperé dignatus est carnem mortalem de virgine Maria, in qua nobis & passionis & resurrectionis præberet exemplum, passionis ad firmandam pœnitentiam, resurrectionis ad excitandam spem: ut duas vitas nobis ostenderet in carne, quam suscepit de vita nostra mortali; unam laboriosam, alteram beatam; laboriosam, quam tolerare debemus; beatam, quam sperare debemus. Toleramus autem laboriosam merito peccati nostri: ille autem ostendit eam in carne sua, non merito iniquitatis suæ, sed officio misericordiæ suæ. *De actis cum Felice Manichæo lib. 2. cap. 11.*

Bonam voluntatem sequitur corona, malam sequitur pœna. Deus judex voluntatum est, creator autem naturarum. *cap. 12.*

Senti de Augustino, quicquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. *Contra Secundinum Manich. l. cap. 1.*

Nemo ad pravitatem vult alium perducere, qui non prior ipse depravatus est. *cap. 17.*

Voluntate peccant qui alios ad peccatum perducere cupiunt, vel ſtulta benevolentia, vel malitioſa invidentia.

De natura boni contra Manichæos l. cap. 4.

Omnis natura bona eſt. Proinde cum quæritur unde ſit malum, prius quærendum eſt quid ſit malum: quod nihil aliud eſt quàm corruptio, vel modi, vel ſpeciei, vel ordinis naturalis. Mala itaque natura dicitur * quando corrupta eſt; nam incorrupta utique bona eſt. Sed etiam ipſa corrupta, inquantum natura eſt, bona eſt; inquantum corrupta eſt, mala eſt.

qua

cap. 5.

Fieri poteſt ut quædam natura quæ modo & ſpecie naturali excellentius ordinata eſt, etiam corrupta melior ſit adhuc quàm eſt incorrupta altera, quæ minore modo & ſpecie naturali inferius ordinata eſt. Melius eſt itaque corruptum aurum quàm incorruptum argentum: & melius eſt corruptum argentum, quàm plumbum incorruptum. Sic & in naturis potentioribus atque ſpiritalibus: melior eſt enim

enim corruptus per malam voluntatem ſpiritus rationalis, quàm irrationalis incorruptus: & melior eſt quilibet ſpiritus etiam corruptus quàm corpus quodlibet incorruptum: melior eſt enim natura quæ cum præſto eſt corpori, præbet ei vitam; quàm illa cui vita præbetur.

Omnis natura quæ corrumpi cap. 6.
poteſt, etiam ipſa aliquod bonum eſt: non enim poſſet ei nocere corruptio, niſi adimendo vel minuendo quod bonum eſt.

Tale bonum eſt Deus, ut nemini eum deferenti bene ſit: & in rebus à Deo factis tam magnum bonum eſt natura rationalis, ut nullum ſit bonum quo beata ſit, niſi Deus.

Qualis & quanta pœna cuique cap. 8.
culpæ debeatur, divini iudicii eſt, non humani: quæ utique & cum univerſis remittitur, magna eſt bonitas apud Deum: & cum debita redditur, nulla eſt iniquitas apud Deum, quia melius ordinatur natura ut iuſte doleat in ſupplicio,

quàm ut impune gaudeat in peccato.

cap. 20. Sunt mala sine dolore peiora: peius est enim gaudere de iniquitate, quàm dolere de corruptione. In corpore melius est vulnus cum dolore, quàm putredo sine dolore.

cap. 36. Malum est male uti bono.

De fide contra Manich cap. 9. In potestate est quod in voluntate esse non debet. Totum quod vocatur malum in hominibus, peccatum est & pœna. Peccatum fit ab anima rationali, cui liberum voluntatis arbitrium est: & pœna infligitur iustitia Dei quæ nihil facit iniuste.

cap. 10. Quis non clamet stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere? & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere?

cap. 40. Non natura carnis, sed pœna eius nobis reluctatur, quia peccato meruimus esse mortales.

Contra aduers. Ea quæ dicuntur mala aut vitia sunt rerum bonarum, quæ omnino

extra res bonas per seipsa alicubi esse non possunt, aut supplicia peccatorum, quæ de iustitiæ pulchritudine veniunt: quod enim malum est per vitium, profecto bonum est per naturam. *Legis & Proph. l. cap. 5.*

Non est malum nisi privatio boni.

Bona sine malis esse possunt, mala vero sine bonis esse non possunt.

Hæc est pœna inobedienti homini reddita in semetipso, ut ei vicissim non obediatur, nec à semetipso. *cap. 14.*

Nec ignarus fuit (Deus) hominem peccaturum, sed simul etiam quid iusti & boni fuerat & de peccante facturus, summa utique divinitate præscivit. Nec instituit quod obesset, si homo sibi obesse noluisset; sed potius instituit quod prodesset: quia homo non sine bona mercede obedientiam custodisset, & non sine utili exemplo, ut eam sancti eius posteri custodirent, pœnas inobedientiæ persolvisset. Nec voluit quod non potuit;

hoc enim voluit, ut aut obediens homo esset, nec inobediens impune non esset. Nec infructuose voluit quod homo non fuerat servaturus iubere, quia pœna contemptoris docuit alios obedire.

cap. 15. Quod Deus invictus sit, etiam homo victus ostendit; quia victus non fuisset, si ab invicto non recessisset.

cap. 18. Maxime sacrificium est quod præcipue debetur Deo.

cap. 20. Non sicut hominem pœnitet Deum, sed sicut Deum: quemadmodum non sicut homo irascitur, nec sicut homo miseretur, nec sicut homo zelat, sed omnia sicut Deus. Pœnitentia Dei non est post errorem, ira Dei non habet perturbati animi ardorem, misericordia Dei non habet compatientis miserum cor: unde in latina lingua nomen accepit. Zelus Dei non habet mentis livorem; sed pœnitentia Dei dicitur, rerum in eius potestate constitutarum hominibus inopinata mutatio: ira Dei est vindicta

peccati: misericordia Dei est bonitas opitulantis: zelus Dei est providentia qua non sinit eos quos subditos habet, impune amare quod prohibet. Quando eum pœnitet, non mutatur, & mutat; quando irascitur, non movetur, & vindicat; quando miseretur, non dolet, & liberat; & quando zelat, non cruciatur, & cruciat. Providentissime Scriptura divina de illo ineffabili loquens, ad quædam etiam verba descendit, quæ jam hominibus & ipsis carnalibus cum de Deo sermo est, videntur absurda & indigna, ut cum timentur ista sic accipi, quomodo in hominibus solent, & discutiuntur quemadmodum de Deo bene accipi possint, ubi discantur etiam illa quæ humanis sensibus in eisdem Scripturis Deo digna videbantur, non secundum hominum mores, intelligi vel credi oportere: cito enim videtur pœnitentia sicut ab hominibus agitur, non cadere in Deum: sed non cito videtur etiam miseri-

cordia, ſicut homines miſerentur, non cadere in Deum. Ex illo ergo quod requirendum fatetur, diſcit homo & hoc requirere, quod jam ſufficere arbitrabatur.

cap. 21. Mirum non eſt ſi maledictum quando auditur, horretur: nec exigendum eſt, ut verbis non horrendis dicatur, quod ad hoc dicitur, ut ab exhorrente timeatur.

Lib. 2. cap. 11. Facit (Deus) & divites beniginſſime largiendo: & pauperes juſtiſſime vel non dando, vel auferendo.

Ad Oroſium contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas l. ſbc 10. Quantum quiſque ſciendo profecerit, tanto ſe infra illas litteras inveniet, quas Deus tanquam firmamentum ſupra omnia humana corda conſtituit.

a De bono conjugali contra Jovin. l. cap. 9. His bonis quæ propter aliud neceſſaria ſunt, qui non ad hoc propter quod inſtituta ſunt, utitur, peccat alius venialiter, alius mortaliter: quiſquis vero eis propter hoc utitur propter quod data ſunt, bene facit. Cui ergo non ſunt neceſſaria, ſi non eis utitur, melius facit.

Tantum valet ordinatio Creatoris, & ordo creaturæ, ut in rebus ad utendum conceſſis, etiam cum modus exceditur, longe ſit tolerabilius quàm in eis quæ conceſſa non ſunt, vel unus, vel rarus exceſſus: & ideo in re conceſſa immoderatio conjugis, ne in rem non conceſſam libido prorumpat, toleranda eſt. Hinc eſt etiam quod longe minus peccat quamlibet aſſiduus ad uxorem, quàm vel rariſſimus ad fornicationem. cap. 10.

Aliud eſt injuſta poteſtate juſte velle uti, & aliud eſt juſta poteſtate injuſte velle uti. cap. 14.

Sicut filii boni adulterorum nulla defenſio eſt adulteriorum: ſic mali conjugatorum, nullum crimen eſt nuptiarum. cap. 16.

Undecumque naſcantur homines, ſi parentum vitia non ſectentur, & Deum recte colant, honeſti & ſalvi erunt: ſemen enim hominis ex qualicumque homine, Dei creatura eſt, & eo male utentibus male erit, non ipſum aliquando

malum erit.

cap. 17. Occulta lege naturæ amant singularitatem quæ principantur: subjecta vero non solum singulis; sed si ratio naturalis vel socialis admittit, etiam plura uni non sine decore subduntur. Neque enim sic habet unus servus plures dominos, quomodo plures servi unum dominum.

cap. 21. Virtutes animi aliquando in opere manifestantur, aliquando in habitu latent.

Ipse est habitus quo aliquid agitur, cum opus est: cum autem non agitur, potest agi, sed non est opus.

Multi quidem facilius se abstinent ut non utantur, quàm temperent ut bene utantur.

cap. 23. Non recte comparantur homines hominibus ex uno aliquo bono: fieri enim potest ut alius non habeat aliquid quod alius habet, sed aliud habeat quod pluris æstimandum est.

Melius est habere omnia bona vel minora, quàm magnum bonum

cum magno malo.

Obedientia præceptorum sine virginitate quidem potest, sed sine castitate esse non potest.

Non solum obediens inobedienti, sed obedientior conjugata minus obedienti virgini præponenda est.

Bonum nuptiarum per omnes gentes atque omnes homines in causa generandi est, & in fide castitatis. *cap. 24.*

Hæc omnia bona sunt, propter quæ nuptiæ bonæ sunt, proles, fides, sacramentum.

Non solum prædicanda est virginitas, ut ametur: verum etiam monenda ne infletur. *De sancta virginitate l. cap. 1.*

Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi. *cap. 3.*

Ubi nulla est invidentia, concors est differentia. *cap. 29.*

Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus. Mensura humilitatis cuique ex mensura ipsius magnitudinis data est. *cap. 31. Eccles. 3*

(Superbia) amplius amplioribus insidiatur. Hanc sequitur invidentia, tanquam filia pediſſequa. Eam quippe ſuperbia continuo parit, nec unquam eſt ſine tali prole atque comite.

cap. 32. (Peccatoribus) non exprobratio cum inflatione, ſed miſeratio ſine deſperatione debetur.

cap. 35. Ille cui omnia tradidit Pater, & quem nemo agnoſcit niſi Pater, & qui Patrem ſolus agnoſcit, & cui voluerit revelare, non dicit: Diſcite à me mundum fabricare, aut mortuos reſuſcitare: ſed, quia mitis ſum & humilis corde. O doctrinam ſalutarem! ô Magiſtrum Dominumque mortalium, quibus mors poculo ſuperbiæ propinata atque transfuſa eſt. Noluit docere quod ipſe non eſſet: noluit docere quod ipſe non faceret.

cap. 38. 1. Ioan. 4. Scriptura dicit: *Charitas foras mittit timorem*: ſed timorem hominum, non Dei: timorem temporalium malorum, non divini in fine judicii.

Quæ gravior offensio, quàm ut superbia illi displiceas, qui propter te superbis displicuit?

Si non amas, time ne pereas: si amas, time ne displiceas.

Est timor ignis æterni, propter quem devitandum Deo servire, nondum est utique perfectæ charitatis: aliud est enim desiderium præmii, aliud formido supplicii.

Omnia peccata sic habenda tanquam dimittantur, à quibus Deus custodit ne committantur. cap. 41.

Jam sciens homo gratia Dei se esse quod est, non incidat in alium superbiæ laqueum, ut de ipsa Dei gratia se extollendo spernat cæteros. cap. 45.

Simulatio humilitatis major superbia est.

Ut quisque non infletur ex eo quod videt se posse, humiliter cogitet quod ignorat aliquid præstantius se fortasse non posse: aliquos autem, qui illud quo sibi glorioſe notus est, nec habent nec profitentur, hoc quod ipse non potest, posse. cap. 47.

cap. 49. Nemo à peccato tanquam rediturus abscedat: nec se hujusmodi quasi societatis pacto cum iniquitate constringat, ut eam confiteri magis quàm cavere delectet.

cap. 51. 1. Ioan. 4. Non custodit bonum virginale, nisi Deus ipse qui dedit, & *Deus charitas est*. Custos ergo virginitatis charitas, locus autem hujus custodis humilitas. Ibi quippe habitat qui dixit super humilem & quietum, & trementem verba sua requiescere spiritum suum.

cap. 54. Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce.

Non quærit à vobis pulchram carnem, sed pulchros mores, quibus frænetis & carnem.

Parum vobis amare non licet, propter quem non amastis & quod liceret.

Videte cum quanta securitate ametis, cui displicere falsis suspicionibus non timetis.

Vir & uxor amant se quoniam vident se: & quod non vident, timent in se. Nec certi gaudent ex

eo quod in manifesto est, dum in occulto suspicantur plerumque quod non est.

Tanto quisque caveat ne superbia decipiatur, quanto sanctius aliquid profitetur.

Multa sunt facienda, non jubente lege, sed libera charitate: & ea sunt in nostris officiis gratiora, quę cum liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus: unde prior ipse Dominus cum se tributum non debere monstrasset, solvit tamen, ne scandalizaret eos quibus ad æternam salutem gerens hominem consulebat. *De adulterinis conjugijs ad Pollentium lib. cap. 7.*

Ea mihi videntur licere & non expedire quæ per justitiam quidem, quæ coram Deo est, permittuntur; sed propter offensionem hominum, ne ob hoc impediantur à salute, vitanda sunt: ea vero non licere, & ideo nec expedire quæ sic ipsa justitia vetantur, ut facienda non sint, etiamsi ab eis quibus in notitiam fuerint perlata, laudentur. *cap. 17.*

Non nisi illicita prohibentur à Domino, & ea quæ licita sunt, & non expediunt, non legis vinculo, sed libera dilectionis beneficentia caveantur.

Lib. 2. cap. 12. Illicite & turpiter etiam cum legitima uxore concumbitur, ubi prolis conceptio devitatur.

Propagatio filiorum ipsa est prima & naturalis & legitima causa nuptiarum: ac per hoc qui propter incontinentiam conjunguntur, non sic debent temperare malum suum, ut bonum exterminent nuptiarū, idest propaginem filiorū.

1. Cor. 7. *Melius est nubere quàm uri.* Non dixit, Melius est mœchari quàm uri.

cap. 14. Non confidendum est de nostris viribus, sed oratio adjungenda conatibus, ut impleat bonis qui deterret à malis.

Contra Epist. Parm. l. 2. c. 4. Possunt esse populi boni ubi fuerint Episcopi mali, sicut potuit esse populus malus ubi fuit Moyses princeps & rector bonus.

cap. 21. Qui non facit malum, nec fa-

cienti consentit, & facientem redarguit, firmus atque integer inter iniquos tanquam frumentum inter paleas conservatur.

Malus malis misceri potest: bonus autem nullo modo, quamvis cum eis in una congregatione versetur. *Lib. 3. cap. 1.*

Aliud est charitas severitatis, aliud charitas mansuetudinis: una quidem charitas est, sed diversa in diversis operatur.

Dominus noster Jesus Christus ad docendam humilitatis viam usque ad mortem crucis humiliari dignatus est. *cap. 2.*

Ideo sunt tanquam sincerissimum speculum proposita hominibus oracula cælestium paginarum, ut ibi quisque videat quodlibet peccatum quantum sit, quod forte magnum est, & male viventium cæco more contemnitur.

Qui vult corporaliter quasi manifestos malos deserere, spiritaliter deserit latentes bonos, quæ inexpertos & incognitos cogitur accu- *cap. 4.*

sare, dum separationem conatur defendere.

De baptismo contra Donat. l. 1. c. 8. Si quis adducatur ad Medicum in aliqua necessaria parte corporis gravi vulnere sauciatus, si dixerit Medicus: Moritur inde, si non curetur: non opinor illi, qui adduxerunt eum, ita desipiunt, ut consideratis atque numeratis cæteris membris eius sanis, respondeant Medico, & dicant: Ergo-ne ista sana tot membra non valent ad ejus vitam, & illud unum vulneratum valet ad ejus mortem? Non utique hoc dicunt, sed curandum offerunt, nec ideo tamen quia curandum offerunt, Medicum rogant ut etiam illa quæ sana sunt curet; sed illi uni loco medicinam instanter adhibeat, unde mors salvis cæteris imminet, & nisi sanetur, adveniet. Quid tantum per ea quæ sana sunt, superbos oculos ducunt?

cap. 15. Ecclesia omnes per Baptismum parit, sive apud se, id est ex utero suo, sive extra se, de semine viri sui, sive de se, sive de ancilla. Sed

&

& Esaü de uxore natus, propter fraternam discordiam separatus est à populo Dei. Et Aser per uxoris quidem potestatem, sed ex ancilla natus, propter fraternam concordiam terram repromissionis accepit: unde & Ismaëli ut separaretur à populo Dei non obfuit mater ancilla, sed obfuit fraterna discordia: non profuit potestas uxoris, cujus magis filius erat, quia per ipsius jura conjugalia & in ancilla servus natus erat, & ex ancilla susceptus. *Gen. 25.* *Gen 30.*

Cur authoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, & ejus exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis? *Lib. 2. cap. 3.*

Ideo plerumque doctioribus minus aliquid revelatur, ut eorum patiens & humilis charitas, in qua fructus major est, comprobetur, vel quomodo teneant unitatem cum in rebus obscurioribus diversa sentiunt: vel quomodo accipiant veritatem, cum contra id quod sentiebant, declaratam esse cognoscunt. *cap 5.*

Aliquid aliter sapere quàm se res habet, humana tentatio est: nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo melioribus usque ad præcidendæ communionis & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præscriptio est. In nullo autem aliter sapere quàm se res habet, angelica perfectio est.

Sanctus Cyprianus sententiam diversæ opinionis vinculo non præposuit unitatis.

Lib. 3. cap. 10. Aliud est non habere aliquid, aliud non jure habere, vel illicite usurpare.

cap. 14 Illud sanandum est quod ægrotat.

cap. 16. Non habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem; ac per hoc rectè intelligitur dici, non accipi nisi in Catholica Spiritus Sanctus.

cap. 18. Qui sunt veri Christiani, nisi de
1 Joan. 14 quibus Dominus dicit: *Qui diligit me, mandata mea custodit?*

Lib. 4. cap. 1. Ecclesia Paradiso comparata in-

dicat nobis posse quidem ejus Baptismum homines etiam foris accipere, sed salutem beatitudinis extra eam neminem vel percipere vel tenere: Nam & flumina de fonte Paradisi, sicut Scriptura testatur, etiam foras largiter manaverunt. Nominatim quippe commemorantur, & per quas terras fluant, & quia extra Paradisum constituta sunt, omnibus notum est: nec tamen in Mesopotamia vel in Ægypto, quo illa flumina pervenerunt, est felicitas vitæ quæ in Paradiso commemoratur. Ita fit ut cum Paradisi aqua sit extra Paradisum, beatitudo tamen non sit nisi intra Paradisum. Sic ergo Baptismus Ecclesiæ potest esse extra Ecclesiam, munus autem beatæ vitæ non nisi intra Ecclesiam reperitur.

Accidere posse invenit, qui diligenter advertit, quosdam salva charitate docere aliquid inutile, sicut Petrus gentes cogebat judaïzare, sicut ipse Cyprianus hæreti- *cap. 11.*

cos denuo baptizari. Et quosdam rursus sine charitate docere aliquid salubre, de qualibus Dominus dicit; *Super cathedram Moysi sedent: quæ dicunt facite; quæ autem faciunt, nolite facere: dicunt enim & non faciunt.*

Mat. 23.

Nec ego dubito Catechumenum Catholicum divina charitate flagrantem hæretico baptizato anteponere; sed etiam in ipsa intus Catholica bonum Catechumenum malo baptizato anteponimus. Nec ideo tamen Sacramento Baptismatis, quo iste nondum, ille jam imbutus est, facimus injuriam; aut Catechumeni Sacramentum Sacramento Baptismi præferendum putamus, cum aliquem Catechumenum aliquo baptizato fideliorem melioremque cognoscimus: melior enim Centurio Cornelius nondum baptizatus Simone baptizato; iste enim & ante Baptismum Sancto Spiritu repletus est: ille & post Baptismum immundo spiritu inflatus est.

Sup. 21.

Sicut bono Catechumeno Baptismus deest ad captandum regnum cælorum; sic malo baptizato vera conversio.

Non simus molesti legentibus, si eadem varie ac sæpe differimus. *Lib. 7. cap. 1.*

Memento Sacramentis Dei nihil obesse mores malorum hominum, quo illa vel omnino non sint, vel minus sancta sint, sed ipsis malis hominibus ut hæc habeant ad testimonium damnationis, non ad adjutorium sanitatis. *Contra litteras Petiliani Donat. l. 2. cap. 47.*

Sicut est plerumque crudelis fallax adulatio, sic semper misericors justa correptio. *cap. 67.*

Tu attende quo voceris, & unde revoceris.

Charitas christiana nisi in unitate Ecclesiæ non potest custodiri. *cap. 77.*

Contra Evangelium etsi Angelus de cœlo evangelizaverit, anathema sit. *cap. 78.*

Ad fidem quidem nullus est cogendus invitus; sed per severitatē, imo & per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari. *cap. 83.*

Male vivendi ultrix disciplina præpostera est, nisi cum præcedens bene vivendi doctrina contemnitur.

Si quæ adversus vos leges constitutæ sunt, non eis bene facere cogimini, sed male facere prohibemini: nam bene facere nemo potest nisi elegerit, nisi amaverit, quod est in libera voluntate. Timor autem pœnarum etsi nondum habet delectationem bonæ conscientiæ, saltem intra claustra cogitationis coërcet malam cupiditatem.

Lib. 3. cap. 4. Non malum est correptionis pœna, cum sit malum culpæ: neque enim ferrum est inimici vulnerantis, sed Medici secantis.

cap. 7. Nisi sancta verba essent ex cathedra Moysi, non diceret Veritas:

Mat. 25 *Quæ dicunt facite.* Si autem ipsi qui verba sancta dabant, sancti essent, non diceret: *quæ faciunt nolite facere; dicunt enim & non faciunt.*

cap. 9. Quamvis simul hœdi cum ovi-

bus pascantur, non stabunt ad dexteram: quamvis simul palea cum tritico trituretur, non intrabit in horreum: quamvis simul pisces mali cum bonis intra retia dominica natent, non mittuntur in vascula.

Nemo bona Dei fugiat nec in homine malo.

Si laudanti amico credendum non est, nec inimico detrahenti. cap. 10.

Sola conscientia talis est, quæ testis esse apud homines non potest.

Quomodo verum est: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus*; nisi quia ad aliud aliquid est, ad aliud non est aliquid? Ad ministrandum & dispensandum verbum ac Sacramentum aliquid est: ad mundandum autem & justificandum non est aliquid: quia hoc non operatur in homine, nisi per quem creatus est totus homo, & qui Deus manens factus est homo. cap. 54. 1. Cor. 3.

Si aliquis in hæreticorum me- De uni-

tate Ecclesiæ l. 4 p. 15. Sap. 1.

moriis orans exauditur, non pro merito loci, sed pro merito desiderij sui recipit sive malum sive bonum: *Spiritus* enim *Domini*, sicut scriptum est, *replevit orbem terrarum*. Nonne legimus ab ipso Domino Deo nonnullos exauditos in excelsis montium Judææ? quæ tamen excelsa ita displicebant Deo, ut Reges qui ea non everterent, culparentur; & qui everterent, laudarentur. Unde intelligitur magis valere petentis affectum, quàm petitionis locum.

Multi Deo irato exaudiuntur: & multis propitius Deus non tribuit quod volunt, ut quod utile est tribuat.

Ad ipsam salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum caput in Scripturis Sanctis canonicis debemus agnoscere, non in variis hominum humoribus, & opinionibus,

nibus, & factis, & dictis, & visis inquirere.

Culpantur etiam qui prohibent à malo, si modum peccati modus coërcitionis excedat. *cap. 20.*

Illicita illicite vindicare, & ab illicitis illicite deterrere, non est bonum.

Gravius persequitur filius male vivendo quàm pater filium castigando.

In contemptore quidem baptismi Christi non est justitia: baptismus autem & in eo qui justitiam non habet potest esse, sed non potest prodesse.

Quoniam Sancta Scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit hujus obscuritate quæstionis, eamdem Ecclesiam de illa consulat, quam sine ulla ambiguitate Sancta Scriptura demonstrat. *Contrà Cresc. Gramm. lib. 1. cap. 33.*

Charitatem sanctam quæ est vinculum perfectionis nemo potest habere non bonus; nemo qui habet, potest esse vel schismaticus vel hæreticus. *Lib. 2. cap. 13.*

cap. 25. Si tunica de latrocinio nesciens vestiretur, ex illo fit iniquitatis vestis illa ex quo cognoverit, & ipse iniquus nisi abjecerit: & qui nesciens uxorem duxerit alienam, ex illo fit adulter ex quo didicerit, nisi discesserit.

cap. 31. Nos nullam Cypriano facimus injuriam, cum ejus quaslibet litteras à canonica divinarum Scripturarum authoritate distinguimus.

cap. 32. Litteras Cypriani non ut canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero; & quod in eis divinarum Scripturarum authoritati congruit, cum laude ejus accipio: quod autem non congruit, cum pace ejus respuo.

Quoniam canonicum non est quod recitas, ea libertate ad quam nos vocavit Dominus, ejus viri cujus laudem consequi non valeo, cujus multis litteris mea scripta non comparo, cuius ingenium diligo, cuius ore delector, cuius charitatem miror, cuius martyrium veneror, hoc quod aliter sapuit,

non accipio. Non accipio, inquam, quod de baptizandis hæreticis & schismaticis beatus Cyprianus sensit; quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua beatus Cyprianus sanguinem fudit.

Solet etiam de bonis mala fama mentiri. *Lib. 3. cap. 12.*

Dedit quidem Deus homini liberam voluntatem; sed nec bonam infructuosam, nec malam esse voluit impunitam. *cap. 51.*

Sacrilegium tanto est gravius peccatum, quanto committi non potest nisi in Deum. *Lib. 4. cap. 19.*

Arrogantiæ non est vel quærere, vel asserere veritatem. *cap. 66.*

Sive exeant mali, sive intus vel ignorentur vel videantur, hoc agit misericordia & justitia Dei, ut sibi ad mala non consentientibus bonis mali non obsint, sed utrique propriam sarcinam portent. *Ad Donatistas post collationē l. cap. 7.*

Ab Adam, in quo omnes peccavimus, non omnia nostra peccata, sed tantum originale traduximus: à Christo vero in quo omnes ju- *De peccatorum meritis & remissione.*

Lib. 1. cap. 13. stificamur, non illius tantum originalis, sed etiam cæterorum quæ ipsi addidimus peccatorum remissionem consequimur.

cap. 14. Possunt esse, & sunt, & fuerunt multi justi homines & imitandi, iustus autem & iustificans nemo nisi Christus.

cap 15. Generante carne illud tantummodo trahitur, quod est originale peccatum: regenerante autem spiritu, non solum originalis, sed etiam voluntariorum fit remissio peccatorum.

cap. 16. Potest recte dici parvulos sine baptismo de corpore exeuntes, in damnatione omnium mitissima futuros. Multum autem fallit & fallitur, qui eos in damnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo: *Rom 5.* *Iudicium ex uno delicto in condemnationem.* Et paulo post: *per unius delictum in omnes homines ad condemnationem.*

cap. 24. Optime punici Christiani baptismum ipsum nihil aliud quàm salutem, & Sacramentum corporis

Christi nihil aliud quàm vitam vocant.

Nemo renascitur in Christi corpore, nisi prius nascatur in peccati corpore. *cap. 29.*

Sicut bono uti male, malum est; sic malo bene uti bonum est. Duo igitur hæc, bonum & malum, & alia duo, usus bonus & usus malus sibimet adjuncta quatuor differentias faciunt. Bene utitur bono, continentiam dedicans Deo: male utitur bono, continentiam dedicans idolo: male utitur malo, concupiscentiam relaxans adulterio: bene utitur malo, concupiscentiam restringens connubio.

Sicut melius est bene uti bono, quàm bene uti malo, cum sit utrumque bonum: ita *qui dat virginem suam nuptum, bene facit; & qui non dat, melius facit.* 2. Cor. 7

Concupiscentia tanquam lex peccati, manens in membris corporis mortis hujus, cum parvulis nascitur, in parvulis baptizatis à reatu solvitur, ad agonem relin- *Lib. 2. cap. 4.*

quitur, ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur: parvulos non baptizatos reos innectit, & tanquam iræ filios, etiamsi parvuli moriantur, ad condemnationem trahit. In grandibus autem baptizatis, in quibus jam ratione utentibus, quicquid eidem concupiscentiæ mens ad peccandum consentit, propriæ voluntatis est, deletis peccatis omnibus, soluto etiam reatu quo vinctos originaliter detinebat, ad agonem interim manet. non sibi ad illicita consentientibus nihil omnino nocitura, donec absorbeatur mors in victoriam, & pace perfecta nihil quod vincatur existat. Consentientes autem sibi ad illicita reos tenet, & nisi per medicinam pœnitentiæ & opera misericordiæ per cælestem Sacerdotem pro nobis interpellantem sanentur, ad secundam mortem damnationemque perducit.

Manet malum in carne nostra, non natura in qua divinitus creatus est homo, sed vitio quo volun-

tate prolapsus est, ubi amissis viribus non ea qua vulneratus est, voluptatis voluntate sanatur.

Adjutor noster Deus dicitur. cap. 5.
Nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur: quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.

Nolunt homines facere quod cap. 17.
justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat: tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quàm bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est,

non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ: sive contra ipsam suam superbiam judicandi & erudiendi, si filii sint misericordiæ.

Nullius culpæ humanæ in Deum referat causam.

Tanto magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus summum atque incommutabile bonum, & author qualiumcumque bonorum omnium. Ut autem diligatur Deus, charitas ejus diffusa est in cordibus nostris, non per nos, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.

De natura & gratia l. cap 3. Natura hominis primitus inculpata, & sine ullo vitio creata est: natura vero ista hominis qua unusquisque ex Adam nascitur, jam Medico indiget, quia sana non est. Omnia quidem bona quæ habet in formatione, vita, sensibus, mente, à summo Deo habet creatore & artifice suo: Vitium vero, quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat, ut illuminationem & cu-

rationem non habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato quod commissum est libero arbitrio. Ac per hoc natura pœnalis ad vindictam justissimam pertinet.

Linguam autem nullus hominum domare potest. Non ait: Nullus domare potest: sed, Nullus hominum: ut cum domatur, Dei misericordia, Dei adjutorio, Dei gratia fieri fateamur. *cap.* 15. *Iac.* 3.

Oret lingua, ut dometur lingua, domante illo qui dixit ad suos: *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* *Mat.* 10.

Præcepto facere commonemur, quod conantes & nostris viribus non valentes, adiutorium divinum precemur.

Quid stultius quàm orare ut facias quod in potestate habeas? *cap.* 18.

O frater bonum est ut memineris te esse Christianum. *cap.* 20.

Sunt mala quæ prosunt mirabili misericordia Dei. *cap.* 24.

cap. 25. Procliviores ſumus quærere potius quid contra ea reſpondeamus, quæ noſtro obiiciuntur errori, quàm intendere quàm ſint ſalubria ut careamus errore.

cap. 26. Sicut vulnere, verbi gratia, claudicans ideo curatur, ut ſanato malo præterito futurus dirigatur inceſſus; ſic mala noſtra non ad hoc ſolum ſupremus Medicus ſanat ut illa iam non ſint, ſed ut de cætero recte ambulare poſſimus: quod quidem ſani non niſi adiuvante illo poterimus.

Sanat Deus non ſolum ut deleat quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam ne peccemus.

cap. 27. Hoc utique agit, ut ſanet omnia; ſed agit iudicio ſuo, nec ordinem ſanandi accipit ab ægroto.

Cætera vitia tantum in malefactis valent, ſola autem ſuperbia etiam in recte factis cavenda eſt.

cap. 28. Deſerit aliquantum Deus unde ſuperbis, ut ſcias non tuum, ſed eius eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe.

Quidam traduntur Satanæ, ut discant non blasphemare: opus Satanæ excluditur opere Satanæ. 1. Tim. 1.

Possunt dolores curari doloribus: possunt etiam venenis venena depelli.

Et hæc quidem ita dixerim, ut altius Dei consilium me fatear ignorare, cur etiam ipsam superbiam, quæ & in rectè factis animo insidiatur humano, non cito Deus sanet, pro qua sananda illi piæ animæ cum lacrymis & magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam & quodammodo calcandam & obterendam dexteram conantibus porrigat: ubi enim lætatus homo fuerit in aliquo bono opere se etiam superasse superbiam, ex ipsa lætitia caput erigit, & dicit: Ecce ego vivo, quid triumphas? Et ideo vivo, quia triumphas. cap. 31.

Quorumdam sane exempla, quos peccasse legimus, non ideo scripta dicit, qui sanum sapit, ut ad desperationem non peccandi valeant, & cap. 34.

securitatem peccandi nobis quodammodo præbere videantur; sed ut discereмus vel pœnitendi humilitatem, vel etiam in talibus lapsibus non desperandam salutem: quidam enim in peccata prolapsi, desperatione plus pereunt, nec solum pœnitendi negligunt medicinam, sed ad explenda inhonesta & nefaria desideria servi libidinum & sceleratarum cupiditatum fiunt, quasi perdant si non fecerint quod instigat libido, cum eos iam maneat certa damnatio. Adversus hunc morbum nimium periculosum & exitiabilem valet commemoratio peccatorum in quæ iusti sanctique prolapsi sunt.

cap. 35. Etiam si non hîc vivitur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde venia deletur quod ignorantia vel infirmitate committitur.

cap. 39. Possumus aliquid bona fide testes astruere quod experti sumus, etiamsi forte non legimus.

cap. 43. Non Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet & facere quod

possis, & petere quod non possis.

Sicut pro membris sanatis gratias agere debemus, ita pro sanandis orare debemus. *cap. 58.*

Potest peccatum caveri, sed opitulante illo qui non potest falli: duobus enim modis etiam in corpore cavetur morbi malum, & ut non accidat; & ut si acciderit, cito sanetur. Ut non accidat, caveamus dicendo: *Ne nos inferas in tentationem.* Ut cito sanetur, caveamus dicendo: *Dimitte nobis debita nostra.* Sive ergo immineat, sive insit, caveri potest. *cap. 67.* *Math. 6*

Valde bona sunt præcepta, si legitime his utamur. Eo quippe ipso quo firmissime creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia charitati, cui uni Christi sarcina levis est: aut ea una est sarcina ipsa quæ levis est. Secundum hoc dictum est: *& præcepta ejus gravia non* *cap. 69.* *Mat. 11.* *1. Ioan. 5*

sunt, ut cui gravia sunt consideret non potuisse divinitus dici, *gravia non sunt*, nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non sunt, & petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur.

cap. 70. Charitas inchoata, inchoata justitia est: charitas provecta, provecta justitia est: charitas magna, magna justitia est: charitas perfecta, perfecta justitia est. Sed *cha-*
1. Tim. 1. *ritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*, quæ tunc maxima est in hac vita, cum pro illa ipsa contemnitur vita.

De gratia Christi & peccato originali contra Pelagiũ & Cælestium lib. 1. cap. 13.

Sic docet Deus eos qui secundum propositum vocati sunt, simul donans & quid agant scire, & quod sciunt agere.

Certissimum indicium quod à Deo didiceris, si id quod didiceris feceris.

Qui autem novit quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem: non secundum spiritum, sed secundum litteram.

Præceptum liber facit, qui libens facit. *cap. 14.*

Quando Deus docet, non per legis litteram, sed per spiritus gratiam, ita docet ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto divino docendi modo etiam ipsa voluntas & ipsa operatio, non sola volendi & operandi naturalis possibilitas adjuvatur.

Non solum Deus posse nostrum donavit atque adjuvat, sed etiam velle & operari operatur in nobis. Non quia nos non volumus, aut nos non agimus, sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus. *cap. 25.*

Tunc scientia non inflat, quando charitas ædificat. *cap. 26.*

Simul utrumque propagatur, & natura & naturæ vitium, quorum unum est bonum, & alterum malum. Illud de conditoris largitate sumitur, hoc de originis damnatione attrahitur. Illi est causa bona *lib. 2. cap. 33.*

voluntas Dei summi: huic mala voluntas hominis primi. Illud indicat Deum creaturæ institutorem, hoc indicat Deum inobedientiæ punitorem. Denique idem ipse Christus propter illud creandum factor est hominis; propter hoc sanandum factus est homo.

cap. 34. Bonum sunt in omnibus quæ sunt propria nuptiarum. Hæc autem sunt tria generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubii sacramentum. Propter ordinem gene-
1. Tim. 5 randi scriptum est: *Volo juniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse.* Propter fidem pudici-
1. Cor. 7 tiæ: *Vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier.* Propter connubii sacra-
Mat. 19. mentum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Propter hæc omnia honorabiles nuptiæ in omnibus, & torus immaculatus: inquantum enim nuptiæ bonæ sunt, intantum etiam faciunt plurimum boni etiam de libidinis malo: quoniam

niam de libidine non bene utitur libido, sed ratio.

Si nullum de malo bonum fieri posset, nec Deus ex adulterino concubitu hominem conderet.

Vitij author est Diaboli decipientis calliditas, & hominis consentientis voluntas. *cap.37.*

Deus hominem damnat propter vitium quo natura dehonestatur, non propter naturam quæ vitio non aufertur.

Bestias absit ut opinemur pœnæ damnationis obnoxias, quas justum est ut miseriæ sint expertes, quæ nec beatitudinis possunt esse participes.

Hæc quæ ab impudentibus impudenter laudatur, pudenda concupiscentia nulla esset, nisi homo esset. *De nuptijs & concup. ad Val. Comitē lib.1.c.1*

Bonum est ut etiam noverimus defendendo adjuvare, quod credimus. *cap.2.*

Absit pudicum veraciter dici qui non propter Deum verum fidem connubij servat uxori. *cap.3.*

cap. 4. Copulatio maris & feminæ generandi causa bonum est naturale nuptiarum; sed isto bono male utitur qui bestialiter utitur, ut sit ejus intentio in voluptate libidinis, non in voluptate propaginis.

Omnis societas fraudulentum socium non vult.

Vera pudicitia, sive conjugalis, sive vidualis, sive virginalis, dicenda non est, nisi quæ veræ fidei mancipatur.

cap. 9. Principatus, magis naturaliter unius in multos, quàm in unum potest esse multorum.

Nec dubitari potest naturali ordine viros potius feminis, quàm viris feminas principari.

cap. 10. Mortuo viro cum quo verum connubium fuit, fieri verum connubium potest cum quo prius adulterium fuerit.

Inter viventes manet quoddam vinculum conjugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre: manet autem ad noxam criminis, non ad vinculum.

fœderis. Sicut apostata anima velut de conjugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit: redderetur enim procul dubio redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit, ad cumulum supplicij, non ad meritum præmij.

(Concupiscentia) modo quodam loquendi peccatum vocatur, quod & peccato facta est, & peccatum, si vicerit, facit. *cap. 23.*

Concupiscentia quotidie minuitur in proficientibus & continentibus, accedente autem senectute multo maxime. *cap. 25.*

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus. Non ait ad habenda desideria ejus, sed, ad obediendum desideriis ejus: ut quoniam sunt in aliis majora, in aliis minora, prout quisque in interioris hominis novitate profecerit, in hoc agonem justitiæ pudicitiæque servemus, ne illis obediamus. Ut tamen nec ip- *cap. 27.*

sa sint desideria velle debemus; etiamsi in corpore mortis hujus id obtinere non possimus.

cap. 31. Quamvis lex ipsa peccati captivum teneat aliquid carnis, unde resistat legi mentis, non tamen regnat in nostro licet mortali corpore, si non obediatur desideriis ejus: solent enim & hostes, adversus quos dimicatur, & inferiores esse in certamine, & victi aliquid tenere captivum.

Lib. 2. cap. 12. Munus piorum propagatio est fœcunda filiorum.

cap. 26. Non sunt nuptiæ causa peccati quod trahitur à nascente, & expiatur à renascente: sed voluntarium peccatum hominis primi, originalis est causa peccati.

cap. 31. Non est mirum si Pelagiani dicta nostra in sensus quos volunt detorquere conantur, quando & de Scripturis Sanctis, non ubi obscure aliquid dictum est, sed ubi clara & aperta sunt testimonia, id facere consueverunt more quidem hæreticorum etiam cæterorum.

Persuasit malum diabolus, non creavit tanquam naturam. Sed plane naturæ persuasit, quia homo natura est, & ideo eam persuadendo vitiavit: qui enim vulnerat, non creat membra, sed vexat. *cap. 34.*

Ex bonis inferioribus atque mutabilibus orta sunt mala. *Contra Iulianū lib. 1. cap. 8.*

Nulla natura, inquantum natura est, malum est.

(Vitia) dum curantur, infesta sunt. *Lib. 2. cap 3.*

An potest bonorum esse usus malus, & non potest malorum bonus? *Lib 3. cap. 7.*

Multum delector eloquentissima veritate. *cap. 15.*

Nemo providet remedium sanitati.

Concupiscentiæ carnalis qui modum tenet, malo bene utitur: qui modum non tenet, malo male utitur. Qui autem etiam ipsum modum sanctæ virginitatis amore contempserit, malo melius non utitur. Confidentia quippe divinæ opitulationis & muneris contem- *cap. 21.*

pſit infima remedia, ut glorioſiora poſſet exercere certamina.

Continentia eſt à Patre, qua non expugnaretur concupiſcentia, ſi non eſſet à Patre.

Hoc non eſt malum quod natus es, ſed cum quo natus es, & contra quod ſpiritaliter dimicas, quia renatus es.

Tolerabilius lingua tua quàm vita mentitur: tolerabilius ſententia quàm continentia ſimulatur.

cap. 23. Nullum malum ſine aliquo bono eſſe poteſt, nec ideo bonum eſt.

Sicut adulterium non poteſt eſſe ſine bono naturæ, nec ideo bonum eſt: ita connubium non poteſt eſſe ſine malo concupiſcentiæ, nec ideo malum eſt.

Lib. 4. cap. 2. Quia in iſta humana miſeria pejor hoſtis eſt cavenda ſuperbia, ideo nimirum non penitus extinguitur in carne continentium Sanctorum concupiſcentia, ut dum pugnatur adverſus eam, periculorum ſuorum animus admoneatur, ne ſecurus infletur, donec humana

fragilitas ad tantam perfectionem perveniat sanitatis, ubi nulla putredo lasciviæ, nullus tumor superbiæ formidetur.

Quanto quisque vincit facilius, tanto pugnat minus.

Quid repugnat in nobis nisi quod adhuc curatur ut sanetur in nobis? Ergo in nobismetipsis sola est infirmitas causa pugnandi, & rursus infirmitas admonitio est non superbiendi. Proinde virtus hîc ubi superbiri potest, ut non superbiatur, in infirmitate perficitur.

Quid aliud in vitio recte displicet, nisi quia detrahit vel minuit quod in natura placet? *cap. 3.*

Quomodo sunt vere justi quibus vilis est humilitas veri Justi?

Scriptura cum ad amorem sapientiæ homines hortaretur, quærendam dixit esse sicut pecuniam. Nunquid propterea Sancta Scriptura dicenda est laudasse avaritiam? Sed quia notum est amatores pecuniæ quantis patiendis laboribus doloribusque subdantur, *Prov. 2.*

a quantis se contineant voluptatibus, sive cupiditate augendi pecuniam sive timore minuendi, quanta lucrum sagacitate sectentur, & prudenter damna devitent, quàm timeant plerumque aliena diripere, & aliquando sua sibi ablata contemnant, ne repetendo & litigando plus perdant: recte admoniti sumus sic amare sapientiam, ut eam nobis thesaurizare avidissime cupiamus, atque ut nobis magis magisque acquiratur, nec aliqua ex parte minuatur, & perferamus molestias, & libidines refrænemus, & prospiciamus in posterum, & innocentiam beneficentiamque servemus.

Omnibus virtutibus non solum sunt vitia manifesta discretione contraria, sicut prudentiæ temeritas; verum etiam vicina quodammodo, non veritate, sed quadam specie fallente similia, sicut ipsi prudentiæ non temeritas vel imprudentia, sed astutia. Nec istorum vitiorum quæ finitima virtutibus

diximus,

diximus, possunt omnium facile nomina reperiri. Verum etsi non invenitur quemadmodum nuncupentur, cavenda sunt. Noveris itaque non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium autem quod faciendum est: finis vero propter quod faciendum est.

Veræ virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus.

Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.

Possunt aliqua bona fieri, non bene facientibus à quibus fiunt: bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonum facit, quod non bona voluntate facit.

Fieri non potest ut sterliter boni simus.

a quantis se contineant voluptatibus, sive cupiditate augendi pecuniam sive timore minuendi, quanta lucrum sagacitate sectentur, & prudenter damna devitent, quàm timeant plerumque aliena diripere, & aliquando sua sibi ablata contemnant, ne repetendo & litigando plus perdant: recte admoniti sumus sic amare sapientiam, ut eam nobis thesaurizare avidissime cupiamus, atque ut nobis magis magisque acquiratur, nec aliqua ex parte minuatur, & perferamus molestias, & libidines refrænemus, & prospiciamus in posterum, & innocentiam beneficentiamque servemus.

Omnibus virtutibus non solum sunt vitia manifesta discretione contraria, sicut prudentiæ temeritas; verum etiam vicina quodammodo, non veritate, sed quadam specie fallente similia, sicut ipsi prudentiæ non temeritas vel imprudentia, sed astutia. Nec istorum vitiorum quæ finitima virtutibus

diximus,

diximus, possunt omnium facile nomina reperiri. Verum etsi non invenitur quemadmodum nuncupentur, cavenda sunt. Noveris itaque non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium autem quod faciendum est: finis vero propter quod faciendum est.

Veræ virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus.

Quicquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.

Possunt aliqua bona fieri, non bene facientibus à quibus fiunt: bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non bene bonum facit, quia non bonum facit, quod non bona voluntate facit.

Fieri non potest ut sterliter boni simus.

Nullo modo homines sunt sterliter boni; sed qui boni non sunt, possunt esse alij minus, alij magis mali.

Vitium est male misereri.

Non actibus sed finibus pensantur officia.

Mentibus amicorum sanorum fletum commovet risus phreneticorum.

Reperitur & misericordia mala qua persona pauperis accipitur in judicio, propter quam postremo Rex Saül meruit à Domino utique misericorde damnari, quia contra ejus præceptum captivo Regi per humanum pepercit affectum.

Exod. 23
1. *Reg.* 15

Amor mundi quo quisque amicus est hujus mundi, non est à Deo; amorque fruendi quibusque creaturis sine amore Creatoris, non est à Deo. Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur etiam creaturis: sine hoc amore Creatoris nullus quisquam bene utitur creaturis.

cap. 8. Pudicitia est res animi, virgini-

tas corporis. Denique illa integra in animo permanente, potest ista de corpore violenter auferri: & cum ista integra manet corpori, potest illa in animo lasciva voluntate corrumpi.

Ignoras vel ignorare te fingis per quemlibet corporis sensum aliud esse sentiendi vivacitatem, vel utilitatem, vel necessitatem, aliud sentiendi libidinem. *cap.* 14.

Movetur certe animus ad pietatis affectum, divino cantico audito: tamen etiam illic si sonum non sensum libido audiendi desideret, improbatur, quanto magis si cantiunculis inanibus vel etiam turpibus delectatur?

Quando molesta vitantur, ut putores, amaritudines, æstus, frigora, & quæque aspera, & dura, & gravia, commoditatis provisio, non libido est voluptatis: ea vero quæ his contraria commode sumimus, si nihil eorum interest ad salutem, vel ad declinandam doloris laborisve molestiam, etiamsi cum

aliqua sumuntur delectatione cum præsto sunt; tamen cum absunt, nulla sunt desideranda libidine. Si autem desiderantur, non est bonum.

Non solum cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem.

Cum natura quodammodo poscit supplementa quæ desunt, non vocatur libido, sed fames aut sitis: cum vero, suppleta necessitate, amor edendi animum sollicitat, jam libido est, jam malum est, cui cedendum non est, sed resistendum.

Nescit cupiditas ubi finiatur necessitas.

Lib 5. cap. 3. Sicut cæcitas cordis quam solus removet illuminator Deus, & peccatum est quo in Deum non creditur: & pœna peccati, qua cor superbum digna animadversione punitur: & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore com-

mittitur: ita concupiſcentia carnis, adverſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, & peccatum eſt, quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis: & pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientis: & cauſa peccati eſt, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis.

Sicut diabolus atque angeli ejus, & mali Reges, non ſolum ipſi peccatores ſunt, ſed per juſtitiam Dei fiunt etiam ſupplicia peccatorum, nec ideo laude digni ſunt: ſic lex in membris repugnans legi mentis, non ideo ipſa juſte agit, quia ejus qui egit injuſte pœna fit juſta.

Nulla pugna eſt ſine malo: quando enim pugnatur, aut bonum pugnat & malum: aut malum & malum: aut ſi duo bona inter ſe pugnant, ipſa pugna eſt magnum malum. *cap. 7.*

Joannes Apoſtolus non ait: Nolite uti mundo: ſed, *Nolite diligere mundum.* Qui enim non diligens utitur, quaſi non utens *cap. 16. 1. Ioan. 2*

utitur; quia non eius rei causa, sed alterius, quam diligens intuetur, ut etiam non diligens hac utatur.

1.Cor.7 *Et qui utuntur hoc mundo, quasi non utantur.* Quid est, *quasi non utantur*; nisi non diligant quo utuntur, quoniam tale est, ut bene aliter non utantur. Et hoc quidem etiam in his rebus obseruandum est, quæ in hoc mundo sic bonæ sunt, ut tamen eas diligi non oporteat: quis enim malum pecuniam esse dixerit? Et tamen nemo ea bene utitur, qui dilexerit.

Sine corporum commixtione possunt esse conjuges: alioquin non erunt conjuges, ut nihil aliud dicam; certe cum senuerint, sibique misceri vel non potuerint, vel sine spe suscitandæ prolis erubuerint atque noluerint.

Voluptatis causa, non prolis, facit concubitum culpabilem, sed in conjuge venialem.

Non obest renatis quod oberat natis.

Lib. 6. cap. 5. Etsi nulla ratione indagetur, nul-

lo ſermone explicetur, veruntamen eſt quod antiquitus veraci Fide Catholica prædicatur, & creditur per Eccleſiam totam.

Audiebamus à maioribus noſtris, qui ſe id noſſe ac vidiſſe dicebant, Fundanum Carthaginis Rhetorem, cum ipſe accidenti vitio luſcus eſſet, luſcum filium procreaſſe. Accidens quippe fuit in patre, quod factum eſt in filio naturale. *cap. 6.*

Quicumque aguntur Dei ſpiritu, ipſi facta carnis mortificant ſpiritu. *cap. 14.*

Cum dicit Apoſtolus Jacobus 1. *Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus, deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum:* profecto in his verbis partus à pariente diſcernitur: pariens enim eſt concupiſcentia, partus peccatum. Sed concupiſcentia non parit niſi conceperit: non concipit, niſi illexerit, hoc eſt, ad malum perpetrandum obtinuerit volentis conſenſum. *cap. 15.*

cap. 16. Concupiſcentiam quis ambigat in hac vita poſſe minui, non poſſe conſumi?

Concupiſcentia minuitur charitate magis magiſque fervente.

Ex hoc concupiſcentia pejor eſt ignorantia, quia ignorantia ſine concupiſcentia minus peccat; concupiſcentia vero ſine ignorantia magis peccat: & neſcire malum, non ſemper eſt malum: concupiſcere autem malum, ſemper eſt malum.

Ut reſurrectionis tempore (concupiſcentia) non ſit omnino in vivente corpore nec dolente, præmium eſt eorum qui contra eam fideliter certaverunt, qui langore ſanato immortalitate ſana & beatiſſima veſtientur: in eis vero qui non ad vitam reſurgent, non feliciter, ſed pœnaliter erit: non quia tunc quiſquam ab ea mundabitur, ſed quia tunc malis non in delectamenta excitabitur, ſed in tormenta vertetur.

cap. 18. Mors cum ſit ſupplicium pecca-

toris, bono mali usu accedente fit meritum martyris.

Quomodo manent peccata reatu, quæ præterierunt actu: sic è contrario fieri potest ut concupiscentia maneat actu, & prætereat reatu. cap. 19.

Quiddam tale est sacrificare idolis, ut opus ipsum cum fit prætereat, eodemque præterito reatus ejus maneat venia resolvendus. Tale est carnis concupiscentia, ut maneat in homine secum per continentiam confligente, quamvis ejus reatus qui fuerat in generatione contractus, jam sit regeneratione transactus: actu enim manet, non quidem abstrahendo & illiciendo mentem, ejusque consensu concipiendo & pariendo peccata; sed mala, quibus mens resistat, desideria commovendo. Ipse quippe motus actus est ejus, quamvis mente consentiente desit effectus.

Non semper est desiderium contra quod pugnemus: sed si tunc non est quando non occurrit quod

concupiſcatur ſive animo cogitantis, ſive ſenſibus corporis, fieri poteſt ut inſit qualitas mala, ſed nulla ſit tentatione commota: ſicut ineſt timiditas homini timido, & quando non timet. Cum vero occurrit quod concupiſcatur, nec deſideria mala nobis etiam nolentibus commoventur, ſanitas plena eſt.

Nulla iniquitas impunita, niſi quam ſanguis Mediatoris expiaverit.

cap. 20. Nonne domino ſubditur ſervus, & bonus bono, & malus malo, & malus bono, & bonus malo? Nonne uxor ſubditur viro & bono bona, & malo mala, & bono mala, & malo bona?

Quis rebellat Diabolo, niſi ab ejus poteſtate per Mediatoris ſanguinem liberatus?

Melius hoſtem non habere quàm vincere.

Quia peccati merito humana natura ſubdita eſt hoſti, prius homo ut adverſus eum pugnare poſſit, ab

ejus eruitur potestate. Deinde si vita est in hac carne prolixior, certans adjuvatur ut superet. Postremo victor beatificatur, ut regnet dicturus in fine: *Vbi est mors contentio tua?* Vel sicut dicit Apostolus: *Vbi est mors victoria tua? ubi est mors aculeus tuus?* 1. Cor. 15

Non omnes homines justificantur in Christo; sed omnes qui justificantur, non aliter possunt justificari quàm in Christo. Sicut possumus dicere in aliquam domum per unam januam intrare omnes, non quia omnes homines intrant in eamdem domum, sed quia nemo intrat nisi per illam. cap. 14.

(Amicitia) nusquam nisi in Christo fidelis est, in quo solo esse etiam sempiterna ac felix potest. Contra duas Epist. Pelag.

Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maxime omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati. ad Bonifacium lib. 1. c. 1 a cap. 2.

Datur potestas ut filij Dei fiant qui credunt in eum, cum hoc ip- cap. 3.

sum datur ut credant in eum.

Hæc voluntas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo libera in bonis non est, quia liberata non est. Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo qui malum non potest velle.

Nemo potest habere voluntatem justam, nisi nullis præcedentibus meritis acceperit veram, hoc est, gratuitam desuper gratiam.

cap. 9. Profecto in ipsa intus voluntate peccat, qui non voluntate, sed timore non peccat.

cap. 13. Ipsa carnis concupiscentia in Baptismo sic dimittitur, ut quamquam tracta sit à nascentibus, nihil noceat renascentibus: ex quibus tamen si filios carnaliter gignunt, rursus trahitur, rursusque & nocitura nascentibus, nisi eadem forma nascentibus remittatur, & insit nihil obfutura vitæ futuræ.

cap. 19. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Non ait, *duxerit*, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere vo-

luntatem. Quis trahitur, si jam volebat? Et tamen nemo venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.

Medicus corporis non continuo pronunciasset à mortis periculo liberum, quem negasset hydropicum, si alio lethali morbo perspexisset ægrotum. *Lib. 2. cap. 2.*

Hoc catholicæ mentis est, si qua forte aliter sapit quàm veritas exigit, non ea certissime definire, sed ea detecta ac demonstrata respuere. *cap. 3.*

Dominus ut responderet futuro Pelagio, non ait: Sine me difficile potestis aliquid facere: sed ait: *Sine me nihil potestis facere.* Et ut responderet futuris etiam istis in eadem ipsa evangelica sententia, non ait: *Sine me nihil potestis perficere*; sed *facere.* Nam si perficere dixisset, possent isti dicere, non ad *cap. 8.*

incipiendum bonum quod à nobis eſt, ſed ad perficiendum eſſe Dei adjutorium neceſſarium.

cap. 9. Tunc bonum concupiſci incipit, quando dulceſcere cœperit: quando autem timore pœnæ, non amore juſtitiæ fit bonum, nondum bene fit bonum, nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, ſi poſſet impune.

Hominis propoſitum bonum adjuvat quidem ſubſequens gratia; ſed nec ipſum eſſet, niſi præcederet gratia.

Nihil in Scripturis Sanctis homini à Deo video iuberi, propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab eius bonitate, vel poſci propter adiutorium gratiæ demonſtrandum.

Nec omnino incipit homo ex malo in bonum per initium fidei commutari, niſi hoc in illo agat indebita & gratuita miſericordia Dei.

Sicut nemo poteſt bonum in-

choare sine Domino, sic nemo perficere sine Domino.

Baptismus abluit quidem peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, sive originalia, sive addita, sive quæ ignoranter, sive quæ scienter admissa sunt: sed non aufert infirmitatem cui regeneratus resistit, quando bonum agonem luctatur. *Lib. 3. cap. 3.*

Ecce qua causa illud dicitur vetus Testamentum, quia priore: hoc autem novum, quia posteriore tempore revelatum est. Deinde, quia Testamentum vetus pertinet ad hominem veterem, à quo necesse est hominem incipere: novum autem ad hominem novum, quo debet homo ex vetustate transire: ideo in illo sunt promissa terrena, in isto promissa cælestia: quia & hoc ad Dei misericordiam pertinuit, ne quisquam vel ipsam terrenam qualemcumque felicitatem, nisi à Domino creatore universitatis putet cuiquam posse conferri. *cap. 4.*

cap. 5. Nostra fides, hoc est, catholica fides, justos ab injustis, non operum, sed ipsa fidei lege discernit, quia *justus ex fide vivit*. Per quam discretionem fit, ut homo ducens vitam sine homicidio, sine furto, sine falso testimonio, sine appetitu rei ullius alienæ, parentibus honorem debitum reddens, castus usque ad continentiam ab omni omnino concubitu etiam conjugali, eleemosinarum largissimus, injuriarum patientissimus, qui non solum non auferat aliena, sed nec sua reposcat ablata, vel etiam venditis omnibus suis, erogatisque in pauperes, nihil suum proprium possideat: cum suis tamen istis velut laudabilibus moribus, si non in Deum fidem rectam & catholicam teneat de hac vita damnandus abscedat. Alius autem habens quidem opera bona ex fide recta, quæ per dilectionem operatur, non tamen ita ut ille bene moratus, incontinentiam suam sustentat honestate nuptiarum, con-

Ezech. 16.

jugij

jugij carnalis debitum & reddit & repetit, nec sola propagationis causa, verum etiam voluptatis, quamvis cum sola uxore concumbit, quod conjugatis secundum veniam concedit Apostolus; injurias tamen non patienter accipit, sed ulciscendi cupiditate fertur iratus, quamvis ut possit dicere: *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris* rogatus ignoscat: possidet rem familiarem faciens inde quidem eleemosynas, sed non tam largas quàm ille: non aufert aliena, sed quamvis ecclesiastico judicio, non forensi, tamen repetit sua: nempe iste qui moribus illo videtur inferior propter rectam fidem quæ illi est in Deum ex qua vivit, & secundum quam in omnibus delictis suis se accusat, in omnibus bonis operibus Deum laudat, sibi tribuens ignominiam, illi gloriam, atque ab ipso sumens & indulgentiam peccatorum, & dilectionem recte factorum, de hac vita liberandus, & in consortium

cum Christo regnaturorum recipiendus emigrat. Quare, nisi propter fidem? Quæ licet sine operibus neminem salvat, ipsa enim est non reproba fides, quæ per dilectionem operatur; tamen per ipsam etiam peccata solvuntur, quia justus ex fide vivit.

cap. 7. Nimis insipienter dicitur tantum amari Deum antequam videatur, quantum amabitur cum videbitur.

De anima & ejus origine l. 1. cap 2. Ubi mihi animus erga me hominis ignotus est & incertus, melius arbitror meliora sentire, quàm inexplorata culpare.

cap. 3. Illud est molestum & periculosum vel pernicioſum, si cum laudatur eloquentia, persuadetur insipientia, & in precioso poculo bibatur pestifera potio.

cap. 7. Præscientia Dei eos quos sanaturus est peccatores prænoscit, non facit.

Lib. 9. Nemo fit membrum Christi, nisi aut baptismate in Christo, aut morte pro Christo: unde & Latro,

ille, non ante crucem Domini sectator, sed in cruce confessor, de quo nonnunquam præjudicium captatur sive tentatur contra Baptismatis Sacramentum, à Cypriano sancto inter Martyres computatur, qui suo sanguine baptizantur, quod plerisque non baptizatis fervente persecutione provenit: tanto namque pondere appensum est, tantumque valuit apud eum qui hæc novit appendere, quod confessus est Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus: tunc enim fides eius de ligno floruit, quando discipulorum marcuit, nisi cuius mortis terrore marcuerat, eius resurrectione revirescret: illi enim desperaverunt de moriente, ille speravit in commoriente. Refugerunt illi authorem vitæ, rogavit ille consortem pœnæ. Doluerunt illi tanquam hominis mortem, credidit ille regnaturum esse post mortem. Deseruerunt illi sponsorem salutis, honoravit ille socium cru-

cis. Inventa est in eo mensura martyris, qui tunc in Christum credidit, quando defecerunt qui erant martyres. Et hoc quidem oculis Domini clarum fuit, qui non baptizato, tanquam martyrii sanguine abluto, tantam felicitatem statim contulit. Sed etiam nostrum quis non consideret, quanta fide, quanta spe, quanta charitate mortem pro Christo vivente suscipere potuit, qui vitam in moriente quæsivit. Huc accedit, quia non incredibiliter dicitur Latronem, qui tunc credidit iuxta Dominum crucifixum, aqua illa quæ de vulnere lateris eius emicuit, tanquam sanctissimo Baptismo fuisse perfusum.

cap. 12. Si peccata, quæ si homo viveret commissurus esset, etiam non commissa damnantur in mortuo, nullum beneficium collatum est illi *qui raptus est ne malitia mutaret intellectum ejus:* quandoquidem iudicabitur secundum eam quæ in illo fuerat futura malitiam: non secundum eam quæ in illo inventa

Sap 4.

est innocentiam: & de nullo mortuo baptizato poterit esse securitas, quia & post Baptismum, non qualitercumque peccare, verum etiam apostatare homines possunt.

Ex parte totum, & ex toto partem divina eloquia significare consueverunt: ex parte enim totum significatum est, ubi legitur: *Ad te omnis caro veniet:* quia ex carne intelligitur totus homo. Ex toto autem pars, cum dicitur Christus sepultus, cum sola eius caro sepulta fuit. *cap. 17.* *Psal. 64.*

Valde sunt noxia prava diserta, quia hominibus minus eruditis, eo quod diserta sint, videntur & vera. *Lib. 2. cap. 1.*

Omnis natura vel Deus est, qui nullum habet authorem: vel ex Deo est, quia ipsum habet authorem. Sed quæ habet authorem Deum ex quo est, aliqua facta non est, aliqua facta est. Porro quæ facta non est, & tamen ex ipso est, aut genita est ab illo, aut procedit ex illo. Quæ genita est, Filius est: *cap. 3.*

unicus: quæ procedit, Spiritus Sanctus: & hæc Trinitas unius est eiusdemque naturæ. Nam hæc tria unum sunt, & singulum quodque Deus, & simul omnia unus Deus, immutabilis, sempiternus, sine temporis ullo initio, sine termino. At vero illa natura quæ facta est, creatura nuncupatur, creator autem Deus, illa scilicet Trinitas. Creatura ergo ita esse dicitur ex Deo, ut non ex eius natura facta sit: ex illo enim propterea dicitur, quia ipsum authorem habet ut sit: non ita, ut ab illo nata sit vel processerit; sed ab illo creata, condita, facta sit, partim ex nulla alia, id est, omnino ex nihilo, sicut cælum & terra, vel potius universæ mundanæ molis universa cum mundo concreata materia: partim vero ex alia iam creata atque existente natura, sicut vir ex limo, mulier ex viro, ex parentibus homo: creatura tamen omnis ex Deo, sed creante vel ex nihilo, vel ex aliquo, non autem gignente, vel

producente de seipso.

Ego & me doctissimum ac peritissimum nescio, imo vero me non esse certissime scio: & fieri posse non ambigo, ut aliquid imperito & indocto cuipiam scire contingat, quod aliquis doctus & peritus ignorat. *Lib 4. cap. 1.*

Natura certe tota hominis est spiritus, anima, & corpus. *cap. 2.*

Nos sumus qui nos comprehendere non valemus: nos non possumus capere nos, & certe non sumus extra nos. *cap. 6.*

Amicus quidam meus iam inde ab adolescentia, Simplicius nomine, homo excellentis mirabilisque memoriæ, cum interrogatus esset à nobis, quos versus Virgilius in omnibus libris supra ultimos dixerit, continuo, celeriter, memoriterque respondit. Quæsivimus etiam superiores ut diceret, dixit. Et credidimus eum posse retrorsum recitare Virgilium. De quocumque loco voluimus petivimus ut faceret, fecit. Prosa etiam de *cap. 7.*

quacumque oratione Ciceronis, quam memoriæ commendaverat, id eum facere voluimus, sursum versus secutus est. Cum admiraremur, testatus est Deum, nescisse se hoc posse ante illud experimentum.

cap. 10. Longe utique præstantius est nosse resurrecturam carnem, ac sine fine victuram, quàm quicquid in ea Medici scrutando discere potuerunt, quod nullo sensu anima percipit, cum præsentia sua vegetet cuncta quæ nescit. Et longe est melius nosse animam, quæ in Christo renata & renovata fuerit, in æternum beatam futuram, quàm quicquid de illius memoria, intelligentia, voluntate nescimus.

cap. 24. Plerumque laudatur, prædicatur, & amatur eloquium in spe juvenis, etsi nondùm habeat maturitatem fidemque doctoris.

De perfectione justitiæ contra Cælestium. De corpore mortis hujus non omnis liberatur qui finit hanc vitam, sed qui in hac vita susceperit gratiam, & ne in vanum susciptat bonis

bonis operibus egerit: aliud est enim exire de hoc corpore, quod omnes homines dies vitæ hujus ultimus cogit: aliud est autem liberari de corpore mortis hujus, quod sola Dei gratia per Jesum Christum Dominum nostrum sanctis & fidelibus ejus impertit. l. cap. 8.

Post hanc vitam merces perficiens redditur, sed eis tantum à quibus in hac vita ejusdem mercedis meritum comparatur: non enim ad saturitatem justitiæ cum hinc exierit, quisque perveniet, nisi ad eam cum hîc est, esuriendo & sitiendo cucurrerit.

Cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ quod vel continendo frænetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus.

Non caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit.

Nec aliam ob causam Scriptura commemorat non esse gravia divina præcepta, nisi ut anima quæ cap. 10.

illa gravia sentit, intelligat se nondum accepisse vires quibus talia sint præcepta Domini qualia commendantur, levia scilicet atque suavia, & oret gemitu voluntatis ut impetret donum facultatis: qui
Ps. 118. enim dicit, *Fiat cor meum immaculatum*, &, *Itinera mea dirige secundum verbum tuum*: &, *Ne dominetur*
Matt. 6. *mihi omnis iniquitas*: &, *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*: &, *Ne nos inferas in tentationem*: & cætera hujusmodi quæ commemorare longum est, hoc utique orat, ut præcepta Dei faciat: quæ ut fierent nec juberetur, si nihil ibi nostra voluntas ageret, nec oraretur, si sola sufficeret. Commendantur ergo non esse gravia, ut cui gravia sunt, intelligat nondum se accepisse donum quo gravia non sint; nec arbitretur ea se perficere, quando ita facit ut gravia sint;
2. Cor. 2. *hilarem* enim *datorem diligit Deus*. Nec tamen cum ea gravia sentit, desperando frangatur, sed ad quærendum, petendum, pulsandumque cogatur.

Quantalibet justitia sit præditus homo, cogitare debet ne aliquid in illo, quod ipse non videt, inveniatur esse culpandum, *cum Rex justus sederit in throno*, cuius cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa de quibus dictum est: *Delicta quis intelligit?* cap. 1. Prov. 20 Psal. 8.

Nemo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque cum peccat. De gratia & lib. arb. l. cap. 2.

Victoria qua peccatum vincitur, nihil aliud est quàm donum Dei in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium. cap. 4.

Homo gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur.

Necessarium est homini ut gratia Dei non solum iustificetur impius, id est, ex impio fiat justus, cum redduntur ei bona pro malis, sed etiam cum fuerit iam iustificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam ne cadat. cap. 6.

Si Dei dona sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, cap. 7.

tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.

cap. 8. Si bona vita nostra nihil aliud est quàm Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia, ut verum sit quoniam verum est, *quia reddet unicuique Deus secundum opera ejus.*

Apoc. 22

cap. 14. Spiritus gratiæ facit ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere iubemur. Quod lex iubet, facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus.

Si fides liberi est tantummodo arbitrii, nec datur à Deo, propter quid pro eis qui nolunt credere, oramus ut credant? Quod prorsus faceremus inaniter, nisi certissime

crederemus, etiam perversas & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum posse convertere.

Semper est in nobis voluntas libera, sed non semper est bona: aut enim à iustitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala: aut à peccato libera est, quando servit iustitiæ, & tunc est bona: gratia vero Dei semper est bona, & per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ iam esse cœpit, augeatur: & tam magna fiat ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfectéque voluerit: ad hoc enim valet quod scriptum est: *Si volueris, conservabis mandata:* ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuvatur ut faciat quod iubetur: tunc enim utile est *cap. 16.*

tanquam merita tua, sed tanquam dona sua.

cap. 8. Si bona vita nostra nihil aliud est quàm Dei gratia, sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est, hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia, ut verum sit quoniam verum est, *quia*

Apoc. 22 *reddet unicuique Deus secundum opera ejus.*

cap. 14. Spiritus gratiæ facit ut habeamus fidem, ut per fidem impetremus orando, ut possimus facere iubemur. Quod lex iubet, facere non valemus, nisi per fidem rogando impetremus, ut facere valeamus.

Si fides liberi est tantummodo arbitrii, nec datur à Deo, propter quid pro eis qui nolunt credere, oramus ut credant? Quod prorsus faceremus inaniter, nisi certissime

crederemus, etiam perverſas & fidei contrarias voluntates omnipotentem Deum ad credendum poſſe convertere.

Semper eſt in nobis voluntas libera, ſed non ſemper eſt bona: aut enim à iuſtitia libera eſt, quando ſervit peccato, & tunc eſt mala: aut à peccato libera eſt, quando ſervit iuſtitiæ, & tunc eſt bona: gratia vero Dei ſemper eſt bona, & per hanc fit ut ſit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipſa bona voluntas, quæ iam eſſe cœpit, augeatur: & tam magna fiat ut poſſit implere divina mandata quæ voluerit, cum valde perfectéque voluerit: ad hoc enim valet quod ſcriptum eſt: *Si volueris, conſervabis mandata:* ut homo qui voluerit & non potuerit, nondum ſe plene velle cognoſcat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta ſufficit ad implenda mandata. Sic quippe adiuvatur ut faciat quod iubetur: tunc enim utile eſt cap. 16.

velle cum possumus, & tunc utile est posse cum volumus: nam quid prodest si quod non possumus volumus, aut si quod possumus nolumus?

cap. 17. (Deus) ipse ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod

philip. 1 ait Apostolus: *Certus quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu.* Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & si volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.

cap. 18. Lex sine gratia littera est occidens, in gratia vero spiritus vivificans.

cap. 20. (Gratia Dei) voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam: & cum bona fuerit, adiuvatur.

cap. 23. Reddet omnino Deus & mala pro malis, quoniam iustus est; &

bona pro malis, quoniam bonus est; & bona pro bonis, quoniam bonus & iustus est: tantummodo mala pro bonis non reddet, quoniam iniustus non est. Reddet ergo mala pro malis, pœnam pro iniustitia: & reddet bona pro malis, gratiam pro iniustitia: & reddet bona pro bonis, gratiam pro gratia.

Dominus ipse non solum ostendit nobis à quo malo declinemus, & quod bonum faciamus: quod solum potest legis littera: verum etiam adiuvat nos, ut declinemus à malo, & faciamus bonum: quod nullus potest sine spiritu gratiæ, quæ si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat & occidat. Propter quod dicit Apostolus: *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* *De correptione & gratia lib. cap. 1.*

Liberum arbitrium & ad malum & ad bonum faciendum confitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est quisque iustitiæ, servusque peccati: in bono autem liber esse nullus potest nisi fuerit

Ioan. 8. liberatus ab eo qui dixit: *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis:* nec ita ut cum quisque fuerit à peccati dominatione liberatus, non iam indigeat sui liberatoris auxilio: sed ita potius ut ab illo

Ioan. 15 audiens, *sine me nihil potestis face-*
Psal. 26. re, dicat ei & ipse: *Adiutor meus esto, ne derelinquas me.*

cap. 2. Intelligenda est gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, qua sola homines liberantur à malo, & sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo & amando, sive agendo faciunt bonum: non solum ut monstrante ipsa quid faciendum sit sciant, verum etiam ut præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt.

cap. 3. Non se fallant qui dicunt: Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo & faciamus bonum, si hoc non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis? Sed potius intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Dei se agi, ut quod agendum est

agant; & cum egerunt, illi à quo aguntur, gratias agant: aguntur enim ut agant, non ut ipsi nihil agant: & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, ideſt cum dilectione & delectatione iustitiæ, suavitatem quam dedit Dominus ut terra eorum daret fructum suũ, accepisse se gaudeant. Quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent ut quod nondum habent accipiant.

Doctores Ecclesiarum Apostoli cap 41
omnia faciebant, & præcipiebant quæ fierent: & corripiebant, si non fierent, & orabant ut fierent. Præcipit Apostolus dicens: *Omnia* 1. Cor. 16.
vestra in charitate fiant. Corripit dicens: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quia judicia habetis vobiscum: quare enim non magis iniquitatem patimini? Quare non potius fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis, & fraudatis, & hoc fratribus. An nescitis qui*

injusti regnum Dei non possidebunt? Audiamus & orantem: *Vos autem*, inquit, *Dominus multiplicet & abundare faciat in charitate in invicem & in omnes.* Præcipit, ut habeatur charitas: corripit, quia non habetur charitas: orat, ut habeatur charitas. O homo, in præceptione cognosce quid debeas habere: in correptione cognosce tuo te vitio non habere: in oratione cognosce unde accipias quod vis habere.

cap. 3. Quicumque Dei præcepta jam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiàm propterea corripiendus es, quia corripi non vis.

Quod vult pro se fieri qui corripi non vult, & dicit: Ora potius pro me: ideo corripiendus est ut faciat etiam ipse pro se.

Tunc est salubris (correptio) quando supernus Medicus respicit: non enim aliquid proficit, nisi cum facit ut peccati sui quemque pœniteat.

Sicut non est ab oratione cessan-

dum pro eis quos corrigi volumus, etiamsi nullo hominum orante pro Petro Dominus respexit eum, & fecit eum suum peccatum flere: ita non est negligenda correptio, quamvis Deus quos voluerit etiam non correptos facit esse correctos.

Tunc correptione proficit homo cum miseretur atque adiuvat, qui facit quos voluerit etiam sine correptione proficere.

Nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi. *cap. 7.*

Quicumque electi, sine dubio etiam vocati: non autem quicumque vocati, consequenter electi.

Nulla re vincitur Deus.

Voluntas humana non libertate consequitur gratiam, sed gratia consequitur libertatem, & ut perseueret delectabilem perpetuitatem, & insuperabilem fortitudinẽ. *cap. 8.*

Liberum arbitrium ad malum sufficit: ad bonum autem nihil est, nisi adiuvetur ab omnipotenti bono. *cap. 11.*

cap. 12. Potuit non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere. Numquid dicturi sumus, Non potuit peccare qui tale habebat liberum arbitrium? Aut non potuit mori, cui Gen. 2. dictum est: *Si peccaveris, morte morieris?* Aut non potuit bonum deserere, cum hoc peccando deseruerit, & ideo mortuus sit? Prima ergo libertas voluntatis erat posse non peccare: novissima erit multo major, non posse mori. Prima immortalitas erat posse non mori, novissima erit multo major non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere; novissima erit felicitas, perseverantiæ bonum non posse deserere.

Aliud est adjutorium sine quo aliquid non fit, & aliud est adjutorium quo aliquid fit: nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, eis fit ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine

quo non fit, non quo fit ut vivamus.

Numerus Sanctorum per Dei gratiam Dei regno prædestinatus, donata sibi etiam usque in finem perseverantia illuc integer perducetur, & illic integerrimus jam sine fine beatissimus servabitur, adhærente sibi misericordia Salvatoris sui, sive cum convertuntur, sive cum præliantur, sive cum coronantur. cap. 13.

Quia & ipsa vita æterna, quam certum est bonis operibus debitam reddi, à tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contulit homini.

Sic velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem: de his enim qui faciunt quod non vult, facit ipse quæ vult. cap. 14.

cap. 15. Pastoralis necessitas habet nè per plures serpant dira contagia, separare ab ovibus sanis morbidam, ab illo cui nihil est impossibile, ipsa forsitan separatione sanandam.

Nescientes quis pertineat ad prædestinatorum numerum, quis non pertineat, sic affici debemus charitatis affectu, ut omnes velimus salvos fieri.

cap. 16. Proinde quantum ad nos attinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes salvos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel nè alios perdant, adhibenda est à nobis medicinaliter severa correptio: Dei autem est illis eam facere utilem, quos ipse & prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui: si enim aliquando timore non corripimus, ne aliquis inde pereat: cur non etiam timore corripimus, ne aliquis inde plus pereat?

Nec gratia prohibet correptio-

nem, nec correptio negat gratiam: & ideo sic est præcipienda iustitia, ut à Deo gratia qua id quod præcipitur fiat, fideli oratione poscatu: & hoc utrumque ita faciendum est, ut neque iusta correptio negligatur.

Sicut nemo sibi sufficit ad inciDe prædestinatione Sanctorum lib. 1. cap. 2. piendum vel perficiendum quodcumque opus bonum: ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam, vel perficiendam fidem, *sed sufficientia nostra ex Deo est:* quoniam si fides non cogitetur, nulla est: &, *Non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Posse habere fidem, sicut posse cap. 5. habere charitatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem, gratiæ est fidelium. Illa itaque natura, in qua nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem: ipsa vero fides discernit ab infideli fidelem.

cap. 8. Valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur & docet.

Fides & inchoata & perfecta donum Dei est.

cap. 10. Inter gratiam & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio: gratia vero iam ipsa donatio.

Prædestinatio Dei quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio: gratia vero est ipsius prædestinationis effectus.

cap. 16. Est in malorum potestate peccare: ut autem peccando hoc vel hoc illa malitia faciant, non est in eorum potestate, sed Dei dividentis tenebras & ordinantis eas, ut hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.

Lib. 2. cap. 2. Asserimus donum Dei esse perseverantiam qua usque in finem perseveratur in Christo: finem autem dico quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque utrum quisque hoc munus

munus acceperit, quamdiu hanc vitam ducit, incertum est.

Multo difficilius perseveratur, *cap. 3.* ubi hoc agit qui persequitur ne perseveretur, & propterea usque ad mortem sustinetur ut perseveretur.

Perseverantiam usque in finem, *cap. 6.* quoniam non habet quisquam nisi qui perseveraverit usque in finem, multi eam possunt habere, nullus amittere: neque enim metuendum est, ne forte cum perseveraverit homo usque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret usque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest: sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest: cum enim perseveraverit quisque in finem, neque hoc donum potest amittere, nec alia quę poterat ante finem: quomodo enim potest amitti, per quod fit ut non amittatur etiam quod posset amitti?

Voluntate sua quisque deserit Deum, ut merito deseratur à Deo.

Nihil fit nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit.

Tentari & in tentationem non inferri, non est malum, imo etiam bonum est: hoc est enim probari.

Tutiores vivimus, si totum Deo damus.

cap. 8. Voluntate sua cadit, qui cadit: & voluntate Dei stat, qui stat.

Non in hominum, sed in Dei est potestate ut habeant homines potestatem filij Dei fieri.

cap. 14. Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est quàm præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur.

cap. 15. Nunquid ideo negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est?

cap. 16. Dicatur verum, maxime ubi aliqua quæstio ut dicatur impellit, & capiant qui possunt: ne forte cum tacetur propter eos qui capere non possunt, non solum veritate fraudentur, verum etiam falsitate.

capiantur qui verum capere, quo caveatur falsitas, possunt.

Facile est, imo & utile, ut taceatur aliquod verum propter incapaces.

Alia est ratio verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum est omnes quærere vel inferere: quarum tamen est & hæc una ne pejores faciamus eos qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt facere doctiores, qui nobis aliquid tale dicentibus doctiores quidem non fiunt, sed nec pejores fiunt. Cum autem res vera ita se habet ut fiat pejor nobis eam dicentibus, ille qui capere non potest: nobis autem tacentibus, ille qui potest, quid putamus esse faciendum? Nonne potius est dicendum verum, ut qui potest capere capiat, quàm tacendum ut non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ipse sit pejor. Qui si audiret & caperet, per illum etiam plures discerent: quo enim

est capacior ut discat, eo magis est idoneus ut alios doceat.

cap. 17. Videte jam à veritate quàm sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ, cum vitæ huic quando voluerit ipse det finem: quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem.

cap. 21. Nimiæ contentionis est, prædestinationi contradicere, vel de prædestinatione dubitare.

Sed hîc sit hujus voluminis terminus, ut legentis reficiatur intentio, & ad sequentia reparetur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

4—4